POLYCARPOPONIA SEU VARIORUM FRUCTUM LABORES...

Domenico Panaroli


A TENERIS IMPRIMITVR
VIRTVS
POLYCARPO
PONIA
Dominici
Panaroli
Romani



POLYCARPOPONIA

SEV

VARIORVM FRVCTVVM

LABORES.

DOMINICI

PANAROLI

ROMANI

OPVS

Philosophis, Iatris, alijsque Philoponis admodum vtile.

Imprimatur,

Si placet Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apostol.

A. Sacr. Episc. Comac. Vicesg.

VIdi, ac diligenter examinaui ego infrascriptus mandante Reuerenrendiss. P. S. P. A. Magist. hanc D. Dominici Panaroli Polycarpoponiam, quam non minus Doctrina, aç scientia refertam, quam Catholicæ Fidei, ac bonis moribus congruam reperij. In fidem &c. hac die 23, Februarij. 1647.

Paulus Zacchias manu prop.

Imprimatur,

Fr. Hyac. Pand. Mag. & Soc. Reuerendiss. P. Fr. Vinc. Cand. Sac. Apost. Pal. Mag. Ord. Prędic.

LVDOVICO XIIII.

GALLIAE ET NAVARRAE REGI

Inuictissimo; & Gloriosissimo.

Dominicus Panarolus Romanus. S.

MARE gemmas, Terra thesauros, virtus honores, & Sol lucem producunt. Labores mei continuo diei noctisque calore, & frigore purificati, atque in cerebro tanquam in chymico vase circulati naturam diaphanam, sicut intelligo, adepti fuerunt. Apti ad lumen recipiendum sunt, ideo illud desiderant. Multis ab hinc annis id quærentes peregrinarunt; sed stulti tanquam nocturni papiliones ad ignem tendentes arefacti, & consumpti fuerunt. Nunc erroris memores, proprio periculo prudentes ad te Europæ clarissimum lumen confugiunt. Hac de causa non timebunt ob terræ alicuius interpositionem obscuram Eclipsim, sed radijs tuis micantes noctuas, & vespertiliones fugabunt.

In hoc opere continentur infrascripta scilicet.

DE Elementis, eorumque mixtione Libri V. in quibus præter varias, nouasque doctrinas agitur etiam de Sphera ignis in concauo Lunari.

Iatrologismorum seu obseruationũ medicinalium Pentecoste prima.

Plantarum Amphitheatralium Catalogus.

Iatrologismorum seu obseruationum Medicinalium Pentecoste secunda.

Itinerarium Solis Horologium mirabile, in quo absque quadrante Astrolabio, aut magnetica sagitta inueniuntur horæ diurnæ

Aporrethodesmon, seu arcanorum Fasciculus.

IN-

INDEX.

De Elementis, eorumque mixtione Liber primus.

QVid sit Elementum. cap.1. car.9.
Opiniones antiquorum circa compositionem elementorum. cap.2. c.12.
Vtrum elementa omnino sint incomposita, vel composita cap.3. 23.
Animaduersiones aliquæ circa elementa, scilicet de Casu, Fortuna, Necessitate, & tepore æthereo, cap.4. 26.
De motu, & quiete elementorũ, cap.5. 30
Sequitur tractatio de motu, & quiete elementorum, cap.6. 48.
Inuestigatur numerus elementorum, cap.7. 53.

De elementis eorumque mixtione. Liber secundus.

DE Sphæra ignis in concauo Lunari contra Neotericos, cap.1. 63.
De Igne, cap.2. 73.
De Aere cap.3. 85.
De Aqua, cap.4. 93.
De Marium motibus, cap.5. 98
De Terra, cap.6. 111.
Tractantur aliqua de terra habitabili Climatibus, & Zonis, cap.7. 123.

De elementis, eorumque mixtione Liber Tertius.

QVot sint elementa mixtionis, caput. 1. 130.
De primis qualitatibus in vniuersum, cap. 2. 134.
De Calore, & Frigiditate, cap. 3. 149.
De Humiditate, & Siccitate, cap. 4. 154.
De Igne prout est elementum mixtionis, cap. 5. 160.
De Aere, Aqua, & Terra, prout sunt elementa mixtionis, cap. 6. 168.
De Mixtis perfectis, imperfectis, & aliquibus ad mixtionem pertinentibus, cap. 7. 170.

De elementis, eorumque mixtione. Liber Quartus.

DE Actionibus caloris naturalis, & primum de Concoctione, & Maturatione, cap. 1. 186.
De Elixatione, Assatione, ac postea de actionibus caloris extranei, cap. 2. 191.
De Coagulatione, Liquefactione, & Crassatione, cap. 3. 193.
De quibusdam dispositionibus, quibus mixta corpora sunt apta, vel inepta certis quibusdam passionibus, cap. 4. 200.
De Complexione, & primum de temperata, cap. 5. 505.

De

De Complexionibus intemperatis, & quomodo dignosci possit complexio corporum omogeneorum, cap.6. 209.
Soluuntur aliqua ad mixta pertinentia, cap.7. 214.

De Elementis, eorumque mixtione. Liber Quintus.

De Accidentibus, quę complexionem consequuntur, & primum de saporibus, cap.1. 221.
De Saporis Naturis, cap.2. 229.
De Odoribus, cap.3. 237.
Sequitur tractatio de Odoribus, cap.4. 242.
De Colore in vniuersum vbi soluuntur aliqua, cap.5. 248.
De Coloribus, cap.6. 262.
Concluditur opus de elementis, eorumque mixtione, cap.7. 267.

FINIS.

INDEX OBSERVATIONVM

Primæ Partis.

Observatio 1. Alui portentosa exsiccatio. Pag. 277
2. Duo Lienes. 279
3. Ren vnicum. 280
4. Vreteres quatuor. 281
5. Fœtus ex vesica aquæ plena asperæ arteriæ adherente in vtero matris mortuus. 283
6. Vetula septuagenaria ab adolescentia eijciens menses per os. 284
7. Venter varicosus. 285
8. Vulneris cephalici mirabilis sanatio. 287.
9. Dissentericorum sectio. 288
10. Mulier quinto mense semper aboriens Phlebotomia præseruata. 291
11. Cholera sanguinea cum maximis symptomatibus Lapide hematite curata. 293
12. Macula Mali Punici miranda ex Matris malacia. 295
13. Turgidæ venæ suffocantes. 297
14. Vomica in testibus mulieris ex antiqua gonorrhea. 300
15. Mulier prægnans quinta vice nunquam menstruata. 302

16. In-

16. Infortunia morborum. 302
17. Vesica rotunda aquosa supra corpus callosum. 304
18. Tumba deleteria. 305
19. Garbonum fumo suffocatus, vitæ restitutus. 306
20. Ventriculus corrosus sicuti ab igne. 309.
21. Puer strumosus. 310
22. Vomitus mirandus. 311
23. Ex imperitia obstetricis prociden-tia vteri cum sterilitate. 314
24. Aura venenata in corporibus nostris genita vitam de medio tollens. 316
25. Scroti sphacelati ex gallico morbo non sine magno vitæ discrimine sanatio. 319
26. Aquæ acetosæ (vulgo) dictæ incommoda. 321
27. Dilatatio vesicæ ter obseruata semper in mortem desinens. 322
28. Tertianarius quidam quattadecima die optimè iudicatus xv. die cholera superueniente mortuus. 323
29. Arteriotomia temporum Phreniticis optima. 325
30. Mulier cacoetica parenchimatibus multis obstructis exercitio plus, quam alio sanata. 326
31. Cor torrefactum in iuuene febre ardentissima mortuo repertum. 327
32. Pulsus diuersiformes. 328

† 5 33. Epi-

33. Epilepticorum optimū remediū. 329
34. Triplex Tertiana. 331
35. Vulneratus lapide in pectore per triduum aphonos redditus Phlebotomia sanatus. 333
36. Senex septuagenarius pleuriticus Diarrhea sanatus. 335
37. Vomica in Hepate. 335
38. Calculus sub oculo natus, per os eiectus. 339
39. Melonum pernicies. 340
40. Phreniticus imprudenter olei potu sanatus. 342
41. Vermium copia mirabilis. 343
42. Apostematis purulēta materia circa genu regionē per secessū excreta. 344
43. Herpes Ventriculi vomitus quotidiani, & mortis causa. 345
44. Pancreas lapidosum. 346
45. Aranearum morsus lethalis. 347
46. Pulmo in sinistra parte thoracis totus consumptus repertus. 348
47 Eleuatio, & depressio Hipocondrij in mortuo homine incautos fallens. 348
48. Cor tomentosum. 349
49. Angina correptus ex Phlebotomia venarum linguæ suffocatus. 350
50. Voluulorum species diuersæ. 352

F I N I S.

Plantarum Amphitheatralium Catalogus. 356

Aliū Indicē videat Lector in fine operis.

PROLOQVIVM.

NVLLVS est omnium hominum ingenij adeo tardi, ac fere stupidi, qui non singularem quamdam voluptatem capiat ex rerum naturæ contemplatione, cuius vel species ipsa oculis obiecta sui splendore, ac pulchritudine summopere nos delectare consueuerit. Quo effectum est, vt plures excellentiori animo, sublimiorique ingenio præditi, quibus fortuna huiusmodi otium non inuidit omnibus alijs voluptatibus spretis, omissa etiam cura rei familiaris, ac pene sui ipsorum obliti se totos dederint huic Philosophiæ parti, in qua traduntur à Sapientibus in lucem proditæ rerum natura constantium causæ, ac in huiusmodi studijs omnem ætatem consumpserint. In quibus, cum ego adolescentiæ & iuuentutis annos impenderim, postquam ad Medicinam accessi, nulla

ex re soleo capere voluptatem, magis que mederi molestijs, quibus plerumque afficior in Anatome, Botanica, alijs què Iatricis elucubrationibus, quam quando per aliquot horas remotus à cunctis hæc mea studia repeto. Tunc etenim mihi videor fœlices horas agere, tunc Deorum immortalium vitam æmulari poetice loquendo. Neque interdum hoc tantum, me iuuat si sumpserim in manus monumenta summorum virorum, commentaque eorum excellentissima memoria repetiero.

Verum si quidpiam maioris ocij mihi contigerit consueui non solum illa iucundissime meditari, sed etiam interdum litteris mandare, si qua à nobis in eis meditandis inuenta sunt, simulque commentis priscorum Philosophorum obscurioribus, lucem, ac splendorem scriptis nostris afferre, ac sparsa colligere in vnum. Hac etenim ratione, quod præstantissimos auctores diligenter fecisse constat, Philosophiæ mysteria magis obuia fiunt ijs, quos nimius labor, & longior deterret ab excellentium alioqui monumentorum lectione.

Quamobrem decreui libente Deo, ne ab instituto meo recederem, nunc, cum aliquot horas vacem à negotijs meis, singulis quibusque diebus omne illud tempus impendere in conscri-

benda

benda ea Philosophiæ naturalis parte, quæ versatur circa elementa, ex quibus Mundus hic constat, eorumque mixtionem, ex qua tam magnam rerum varietatem cernimus effectam esse, deinde de ijs agere, quæ mixtionem elementorum plerunque consequuntur, vt tamen oratio nostra cõsistat citra formas metallorum, & lapidum, ac similares partes corporum viuentium, quæ propinquissimæ sunt mixtioni elementorum, quæ Physicæ Philosophiæ pars, & si continet principia, & radices totius scientiæ, quæ circa species, & naturas proprias mixtorum omnium versatur, maximeque facit ad omnem disciplinæ Medicinæ notionem, parum culta fere ab omnibus est, qui Physicen profitentur.

Hoc facto habebimus secundam obseruationum medicinalium Pentecostem nunquam editam simul cum prima, cumque suo Plantarum Amphyteatralium catalogo.

Agendum postea nobis erit de Itinerario Solis horologio mirabili; tandem aliquot arcana in lucem dabimus. Hi labores variorum fructuum si nostra opera in vnum colligantur, dilucideque tractentur arbitror, non in cassum has nobis horas abituras, neque operis huiusce nostri pœnitere nos posse.

Atque hi sunt labores, quos remotus a cunctis, remotus ab amicis feci, nunc reddo rationem administrationis meæ doctis, ac sapientibus viris, non autem ignaris, qui ingenium hoc iudicandi non habuerunt.

Verum, vt omissa longiori præfatione ad rem deueniam illud tantum lectorem admonitum esse volo, nos huic opusculo nullum eloquentiæ fucum, aut verborum ornatum esse adhibituros in aliquibus libris sicuti in elementis, sed satis nos facturos putare, si res alioqui difficiles, atque obscuræ suapte natura tractentur à nobis ea dicendi forma, eoque orationis genere vt intelligi dilucide queant.

Interim lector beneuole libros nostros libenti animo accipias, latum enim ad maiora campum sic faciendo nobis relinques. Alios nostros labores hodie impressos legeres, nisi aliqui homines pauci ingenio minores virtute, fuissent, qui pro se nihil scientes, dum alios non considerant à virtute longinquos nos reddidere; longinquos intelligas non separatione, sed tempore ita vt, quod iam perfectum esset incompletum ad huc est. Gratiæ infinitæ sunt illis reddendæ ab omnibus Philosophis optimum enim opus ironice

opera-

operati fuerunt, quorum insidias diligenter ponderabis lector, dum ipsos Philautia nos vero virtutis amore flagrantes intuens exitum nostrum suumque obseruabis.


ΟΥ ΓΡΑΦΕ ΙΝ
ΑΝΕΥ ΔΙΑΝΟ ΙΗΣ
Dom.cus Panarolus Ann. 33.

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE.

LIBRI QVINQVE.

DOMINICI PANAROLI ROMANI *PHILOSOPHI,* *& Medici.*

In quibus præter varias, nouasque doctrinas agitur etiam

De Sphæra ignis in concauo Lunari contra Neotericos.

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE LIBER PRIMVS.

Quid sit Elementum.

Caput Primum.

VT autem in hoc à nobis opere instituto progrediamur ea ratione, & via, quæ scientiæ cuiuis tradendæ maxime conuenire solet, incipiemus ab expositione definitionis elementi: omnis namque cuiuscumque rei doctrina primum tradere debet, quidnam illud sit, de quo ipsi est agendum, ac deinde proprias subiecti affectiones, partes demum, ac proprietates partium, vt Aristoteles dicit in posterioribus.

Elementum vero id esse, ex quo fiat aliquid cum insit, & sit indiuisibile secundum speciem Aristoteles item auctor est in quinto libro Philosophiæ primæ. Namque si ex eo aliquid non fiat,

nullius vtique rei elementum esse poterit: omne etenim elementum pertinet ad genus causæ materialis; materia verò omnis inest in re, cuius est materia: nam id, ex quo fit aliquid, cum tamen rei effectæ non insit, sed deperit, habet rationem & modum priuationis, non autem materiæ, & ad priuationem pertinet, quam distingui definitione, & natura à materia in primo Physicorum euidentibus rationibus probatum est, simulque eo in loco edocemur materiam à priuatione differre, quod materia remanet post rem factam, priuatio vero minime.

Inest ergo elementum quod ad genus materiæ pertinet in re ea, cuius est elementum. Verum, quoniam materia prima, quæ nullam suapte natura formam propriam habet elemētum dici non consueuit, omne enim elementum aliquid actu est, neque etiam materiæ secundæ illæ quæ in priora corpora resoluuntur, & ex prioribus corporibus constitutæ sunt elementa iure dici queunt, sed tantum prima corpora, ex quibus aliqua constant hoc vendicare sibi videntur, vt elementa sint: idcirco additum est in ea quam attulimus elementi definitione, quod est indiuisibile secundum speciem: materia prima etenim, quæ non habet speciem

vllam

vllam dici non poteſt indiuiſibilis ſecundum ſpeciem, neque etiam aliæ materiæ poſteriores poſt prima corpora indiuiſibiles ſunt ſecundum ſpeciem, cum in priora corpora reſolui queant.

Eadem ratione nullum corpus diſſimilarium partium poterit dici elementum: quoniam eo priores ſunt partes illæ ſimilares, ex quibus eſt conſtitutum, quo fit vt non ſit indiuiſibile ſecundum ſpeciem. Conſimili prorſus ratione orationis, quæ voce pronũciatur elementa ſunt litteræ, ex litteris nãque fit oratio, quæ in ea inſunt, ſpeciemque aliquam ſecundum ſe habent litteræ omnes, neque in priores voces reſoluuntur: dictiones vero, ac ſyllabæ, quamuis ex eis oratio etiam conſtituta ſit, ac in oratione inſint, elementa tamen dici minime poſſunt; quia in literas priores reſoluuntur.

Verum quoniam elementa corpora quædam ſunt prima, ex quibus aliud quodpiam corpus conſtituitur, conſtitui vero quidpiam ex alijs poteſt vel nullo modo immutatis, aut alteratis inuicem, ac permutatis, idcirco vt dilucidior ſit tractatio noſtra, ac ordine apto procedat priora eleméta appellabimus elementa compoſitionis, ſicut lateres domus, aut grana acerui. Alia dicemus

elementa mistionis, vt in oxymele acetum, & mel.

Ex his, quæ hactenus à nobis dicta sunt cuiusuis compertum esse potest elementa simplicia corpora esse: sed quoniam eo tantummodo simplicia sunt elementa, quod non sunt mixta ex prioribus corporibus, non tamen simplicia sunt ea ratione, vt non composita sint ex materia, & forma quemadmodum infra euidentissima ratione probabimus.

Opiniones Antiquorum circa compositionem Elementorum.

Caput Secundum.

ANtiquorum Philosophorum multi, quibus nondum erat comperta huius modi compositio ex actu scilicet, & materia cum perspicerent ea, quæ appellare consueuimus elementa non omnino simplicia esse, existimauere illa esse composita ex prioribus quibusdam corporibus.

Plato vero in Thymeo si ea, quæ in eo opere literis mandauit sunt potius

ad

ad dogmata eius referenda, quam ad Pythagoricorum disciplinam sputauit elementa hæc esse composita, ex superficiebus, quam eius viri sententiam Aristoteles multis in locis confutare conatur.

Anaxagoras, vt ab eo ordiamur cum existimasset corpora similarium partium esse primam rerum omnium materiam videretque ex his corporibus, quæ nos elementa appellare consueuimus omnia generari existimauit in hisce elementis præcipue esse omniũ similares partes, & quasi rerum omnium semina, ex quibus itidem omnes res generari possent, & oriri: qua de re minime omnium huiusmodi corpora, ignis scilicet, Aer, Aqua, & Terra appellationem elementi mereri posent, si ea, quam supra attulimus est elementi natura ac definitio. Verum Anaxagoræ sententia certissimis argumentis in primo Physicorum ab Aristotele confutata fuit. Ideo ne ineptus iure haberi queam nihil mihi amplius dicendum esse duxi de huius Philosophi dogmate. Democritus vero, quem sequutus est Epicurus, dixit omnium rerum materiam esse corpora indiuisibilia quæ atoma appellauit figuris distincta inuicem. Ex his atomis constituta esse voluit elemen-

elementa hæc omnia, ex quibus ſequitur, vt etiam ſententia Democriti corpora hæc, quæ diximus, ex quibus hic Mundus conſtat iure elementa dici non poſſint, quoniam conſtant ex corporibus prioribus, quibus procul dubio conuenit definitio elementi ſuperius à nobis èxpoſita. Democriti hæc poſitio ab Ariſtotele multis rationibus, euidentibuſque argumentis confutata in tertio libro de Cœlo, vt alios locos omittam, tandem loco cedere coacta eſt.

Nobis ergo etiam abſtinendum erit ab huius Philoſophi dogmate confutãdo, ne videamur officere velle Ariſtotelis gloriæ, ſi noua argumenta excogitare forte vellemus, aut lectorem tædio afficere, & acta agere ſi repeteremus hoc in loco Ariſtotelis argumenta contra Democritum.

Platonis vero ſententia in Thymeo ſiue ea Platonis ſit, ſiue Phythagoricorum, ea eſt, vt velit prima principia, conſtituentia elementa eſſe duo genera triangulorum iſoſchelem ſcilicet triangulum, & ſcalenum. Nam cum cenſerent Phythagorici corpora ex ſuperficiebus conſtituta eſſe prima corpora, vtique ex primis conſtare ſuperficiebus neceſſario ſequi cenſebant.

Primæ vero ſuperficies, ſeu figuræ planæ ſpecies ſunt trianguli. Prætereo

circu-

circulum, qui rectis corporibus cuiusmodi sunt elementa accommodari non potest.

Elementa ergo constituta esse ex triãgulis necessario putabant. At in triangulorum speciebus eas rebantur esse priores, quæ angulum rectum haberẽt. Rectus namque angulus natura prior est acuto, & obtuso angulo, vt ex eorum definitione liquido patet. Necnon etiã quoniam rectus vnius naturam refert, cum variari non queat sed semper sibi sit par, omnesque recti anguli inter se æquales sint: at acutus obtususque angulus magis, ac magis, minusque etiam atque minus acutus, obtususue fieri potest: neque sibi sunt pares obtusi omnes, acutique anguli. Quamobrem præcipue elegit Plato triangulos rectangulos isoscheles scilicet, & scalenum præterito æquilatero in quo nullus rectus angulus esse potest.

Verum quoniam isoscheles, qui rectangulus est vnius tantum est modi, nã rectum vnum angulum habet duos vero semirectos neque vnquam ab eo mensu deduci possunt isoschelis anguli, ideo nihil amplius fuit in isoschele quærendum. At scalenus etiam si semper angulum vnum rectum haberet, quod tamen minime perpetuum est infinitis vtique modis duos qui supersunt varios,

ac

ac diuersos habere potest: idcirco constituenda fuit certa scaleni ratio, ac species, quæ elementis constituendis accommodanda esset. Sed cum proportio recti ad semirectum alterutrum in isoschele triangulo sit proportio prima in numeris dupla inquam, quæ scilicet est duorum ad vnum neque hæc proportio in Scaleni triangulo inueniri queas, quamuis rectum vnum angulum habeat: duo etenim qui supersunt inæquæles inter se sunt: ideo post isoschelem in quo est dupla proportio duorum inquam ad vnum præcipuam, habuit Plato eam Scaleni speciem in qua angulus vnus esset rectus, inter omnes autem angulos esset proportio, quæ in numeris sequitur proportionem duplam, eam scilicet, quæ est trium, duorum, & vnius inter se in qua duorum ad vnum proportio dupla est, at trium ad duo sesquialtera, trium autem ad vnum tripla.

Elegit igitur Plato illud Scaleni genus, quod rectum vnum angulum haberet, eamque inter latera proportionem, vt maximum latus sit in potentia ad proximum in proportione sesquialtera: ad tertium vero omnium minimum latus medium sit in potentia in proportione dupla. Et, vt more Ptolomei loquemur, & à lateribus veniamus

niamus ad angulos eos descriptos in circulo, quibus ea latera contraposita sunt, à quibus sumitur laterum potentia. Erit in hoc Scaleni genere, quod selegimus, vnus angulus rectus centum scilicet, & octoginta graduum, alter vero huic proximus continebit duas tertias partes recti anguli, ac propterea erit cētum, & viginti graduum: tertius autem angulus, qui reliquus est necesse est, vt tertiæ partis vnius recti sit, quæ superest ad perficiendos duos angulos rectos: quibus sunt æquales tres anguli cuiuscumque trianguli: quo fit vt tertius hic angulus sit gradum sexaginta.

Erunt ergo in hisce gradibus, & angulis eæ proportiones quas diximus sesquialtera scilicet trium videlicet ad duo, inter centum, & octuaginta, & centum & viginti dupla vero duorum inquam ad vnum, inter centum, & viginti, & sexaginta: ex quibus efficitur, vt etiam eadem sit potentia laterum, quæ opponuntur angulis illis. Ab angulis namque hæc sumitur potentia laterum illis oppositorum.

Hanc rationem vt arbitror Plato in Thymeo innuit, quamuis ipsam subticuerit, maiorisque negocij esse dixerit, quam vt ibi explicare potuerit, cui scilicet Deus elegeret illud Scaleni genus, quod postea diuersa quadam ratio-

ratione exponit. Inquit enim in eo ſcaleno vnum latus eſſe in potentia triplum ad minus, & aliquanto infra inquit in eo hypotenuſam eſſe longitudine duplam ad minorem lineam. Hoc autem eſt in eo Scaleni genere, cuius meminimus, in quo ordine quodam eſt proportio trium, duorum, & vnius. Nam Hypotenuſa eſt verbi gratia ſex cubitorum, minima linea trium erit, vt oſtendam.

Quadratum hypotenuſæ erit XXXVI. minoris vero lineæ quadratum erit nouem, quæ ſi demantur à triginta ſex relinquuntur viginti ſeptem, quod erit quadratum tertiæ lineæ, quæ ſimul cum minori continet angulum rectum: viginti ſeptem vero ſunt tripla ad nouem. Hoc patet, quoniam in triangulo quadratum Hypotenuſæ eſt æquale duobus quadratis ſimul ſumptis duarum linearum continentium angulum rectum. Quod autem Hypotenuſa ſit dupla longitudine minoris lineæ oſtenditur; nam ſi illi Scaleno circumſcribatur circulus, vtique Hypotenuſa erit diameter centum (inquam) & viginti graduum. Minor linea, quæ eſt chorda ſexaginta graduum eſt latus exagoni deſcripti in eodem circulo. Erit igitur ſemidiameter ſexaginta ſcilicet graduum, vt oſtēſum eſt in Geometria. Erit igitur Hypo-
tenuſa

tenusa dupla longitudine minoris lineæ. Huius generis ergo si sex trianguli scaleni æquales inter se in vnum coniungantur, ita quod anguli, qui sunt centum, & viginti graduum, in eodem puncto velut centro conueniāt: ex duobus vero angulis sexaginta graduum inuicem compactis efficiatur vnus angulus centum, & viginti, ac recti duo in medio laterum coniuncti ex duobus lateribus scalenorum vnum tantum efficiant latus. Ex sex scalenis hoc modo coniunctis efficietur triangulus vnus æquilaterus. Hæ igitur duæ triangulorū species æquilaterus scilicet, qui ex sex Scalenis constitutus est, & Isoschelis triāgulus, alij ætenim modi Isoschelis indefiniti sunt, & natura posteriores rectangulo omnium figurarum rectilinearum videntur primi, & perfectissimi.

Quamobrem Plato, seu Pythagorici posuerunt duos hos triangulorum modos principia esse quatuor elementorū, ex quibus Mundus hic constat. Hoc inquit pacto. Nam quatuor trianguli Isoschelis si in vnum compingannturità, quod recti anguli in centro coeant, vtique quadratum efficient, vt quiuis per se facile intelligere potest: sex quadrata vero corpus cubum efficiunt, nullaque alia figura solida, ex quadratis componi potest. Corpus autem cubicū Plato

attri-

attribuit terræ, vt pote, quæ ſtabilis ſit neque ob ſuum pondus facile dimoueri poſſit. Neque præterea ex Iſoſchele triangulo, ſeu ex quadratis ſuperficiebus aliud corpus effici poteſt præter cubicum. At trianguli æquilateri, qui modus reliquus eſt, & tres in vnũ compacti ſolidũ angulum efficiunt, quibus ſi quartus addatur Pyramis oritur æquilatera, quæ cum acutiſſima omniũ figurarum ſolidarum ſit igni adſcribebatur à Platone. Item quatuor trianguli coniuncti, inuicemque applicati conſtituunt angulum ſolidum, quorum octo efficiunt figuram ſolidam octocedron, ſeu octo baſium. Hanc Plato aeri adſcripſit: demum quinque trianguli inuicem connecti queunt, cõſtituuntque ſolidum angulum, ex quibus ſi compleatur corpus, vt Stereometræ oſtendunt, efficitur corpus viginti baſium. Hoc Plato aquæ impoſuit vt pote, quæ ſit aere craſſior. Ex pluribus autem triangulis, quam quinque in vnum compactis effici angulus ſolidus præterea nequit; ideoque aiebat nullum aliud corpus ſimplex inueniri præter ea quatuor quæ ſenſibus etiam expoſita ſunt noſtris.

Sed quoniam præter has quatuor ſolidas figuras regulares quinta etiã conſtitui poteſt ex pentagonis, quorum tria in

vnum

vnum compacta angulum solidum faciunt, sicque duodecim figuram complent duodecim basium, vt omnino corpora, quæ natura constant responderent Mathematicis, quæ Pythagorici principia esse naturalium censebant, vniuerso hanc duodecim basium figuram adscripsere.

Ex quo facile conijci potest hanc Pythagoricorum fuisse sententiam non Platonis, quoniam Plato in eodem opere attribuit vniuerso, seu Cœlo figuram circularem, & sphæricam, cum de constitutione animæ vniuersi verba facit: at quoniam principia trium elementorum ignis scilicet aquæ & aeris sunt trianguli scaleni, terræ vero isoscheles, seu æquicrures trianguli, idcirco sequitur, quod tria priora elementa inuicem transmutari queunt, terra vero, quæ ex ijsdem principijs non constat minime possit in alia elementa transmutari, quod etiam Aristoteles in hac positione reprehendit.

Hæc de elementis Platonis seu Pythagoricorum sententia, quam latius explicari operepretium esse docuimus, quoniam in Thymeo paucis obscure traditur, ab Aristotele vero vix tangitur, euidentissimis argumentis refelli potest: nam præter quam quod natura constantiam corporum mathe-

Mathematica principia facit primis ſcientiarum Mathematicarum principijs contradicit. Nam ſuppoſitio eſt in Geometria lineam diuidi in infinitum, ac propterea non conſtitui ex punctis. Item ſuperficiem diuidi in infinitum, corpora quoque pari ratione ſemper diuidi, atque diuiſiones nullibi ſiſtere. Quamobrem ſequitur neque ſuperficiẽ conſtare ex lineis, neque corpora confici atque compingi ex planis figuris, quę ſunt in ſuperficie, eamque ambiunt. Præterea nutritio, auctio, generatio mixtorum corporum præcipue fieri ſolet ex terra, quam propterea Matrem omnium appellauere priſci omnes, non ergo terrę conuenit in alia minime mutabilem eſſe.

Ad hæc commentum, ac figmentum procul dubio videtur figuram duodecim baſium tribuere vniuerſo, quod ſphæricum eſſe oſtenditur certiſſimis rationibus. Amplius tum hæc Pythagoricorum ſententia, tum Democriti poſitio de atomis vnica ratione euidenter refellitur. Ea, quæ pati, & immutari nequeunt à ſui natura ſunt elementa compoſitionis tantum, nequeunt tamen eſſe elementa mixtionis, neque ex illis quidpiam conſtitui poteſt, quod ſit præter ea, aliamque ab illis naturam, & qualitatem habeat, quæ actu non

ſit

ſit in elementis componentibus, vt ratione, & inductione cuiuis compertum eſſe poteſt. Si ergo atomi, hique trianguli Pythagorici ſunt immutabiles, neque aliquid pati poſſunt, vtique mixtio vlla fieri nequit, mixtumque nullum, erit, ſed tantùm compoſitio quędam, & congeries atomorum corporum, ſeu triangulorum; nam illud, cuius quæcunque pars eſt à quauis paſſione immunis, vtique totum quoque omnis eſt paſſionis expers. Verum & ab Ariſtotele in tertio de Cœlo, & à Galeno in libro de elementis multis rationibus horum ſententiæ ſunt confutatæ: ideo nobis hæc dixiſſe ſufficiat.

Vtrum Elementà omnino ſint incompoſita, vel compoſita.

Caput Tertium.

QVoniam elementa neque conſtant, ex atomis, neque, ex triangulis, id nobis diſcutiendum reſtat: an ſint omnino incompoſita, an potius aliquam habeant compoſitionem. Aliquibus videri poteſt, quoniam hæc prima ſunt corpo-

corpora, aliorumque omnium elementa, ac propterea in priora quæpiam corpora resolui nequeunt, ea vtique incomposita esse: attamen quemadmodum non grauatè concedendum est prima hæc elementa non esse composita compositione mixtionis, quia simplicia sunt ac immixta, neque etiam ea compositione, qua confecta sunt corpora dissimilarium partium, ita fatendum est, ea composita esse ex materia, & forma substantiali, per quam sunt, & à qua nomen habent, & definitionem, nec non etiam quam sequuntur qualitates vnicuique illorum propriæ.

Nec tamen propterea verendum est, ne potius materia, & forma sint elementa, quam hæc quæ ex his constituta sunt corpora: quoniam neque materia corpus est, neque speciem habet, neque forma corpus est, neque speciem habet per se. Horum igitur vtrumque principium est elementorum simplicium, non autem elementum.

Nec difficile est ratione probare corpora prima simplicia elementa inquam ex forma, & materia constare: nam omne quod est actu, vel est actus per se existens, vel habet actum, per quem existit: nullum autem corpus potest esse actus per se existens, nam actus per se existēs est forma abstracta, & separata à ma-

à materia. Necesse est ergo, vt elementa, quæ sunt corpora per se existentia habeant actum per quem sint. Erunt ergo composita ex materia, & actu, seu forma substantiali, per quam sunt.

Huic addamus, quod elementa sunt corpora composita, non tamen immortalia, quæ scilicet non sint obnoxia, generationi, & corruptioni, sed generari, & corrumpi queunt. Hoc etiam ratione probatur, nam elementa, secundum naturam mouentur motu recto, recti vero motus inuicem contrarij sunt, erunt ergo elementa inter se contraria: at substantia omnis habens contrarium corruptibilis est, erunt igitur elementa corruptibilia corpora. Neque tamen propterea quispiam suspicetur poni à nobis substantiæ aliquid contrarium esse per se, & secundum, substantiam, verum hæc elementorum contrarietas est in qualitatibus eorum, proprijs, sine quibus esse non posunt. Præterea si elementa esent incorruptibilia, vtique ex eis mixtum corpus fieri non poset, quod aliam quamdam naturam haberet præter eas, quæ actu sunt in elementis. Quamobrem procul dubio in eas reciderемus angustias, à quibus sese explicare non posse Democritum, & Pytagoricos supra ostēdimus:

qui constituunt elementa, ex atomis, & triangulis immutabilibus.

Sequitur ergo ex his, quod elementa vicissim inter se generantur, & corrumpuntur. Materiam ergo primam communem inter se habent, atque eamdem; differunt autem forma, & specie, nec non etiam qualitatibus illis, quæ sunt dispositiones propriæ, ac fere veluti proprietates elementorum cuiusque. Verum quoniam elementa mixtorum omnium corporum materia sunt necesse est vt substantialium formarum omniũ elementares formę imperfectissimæ sint, ac maxime propinquæ naturæ materiæ, & accidentium. Hæc de elementis in vniuersum dicta sint satis.

Animaduersiones aliquæ circa elementa, scilicet, De Casu, Fortuna, Necessitate, & Tepore Ethereo.

Caput Quartum.

QVoniam elementa hæc, de quibus tractare instituimus, & elementa sunt vniuersi, quod ex ipsis constat, & etiam

etiam elementa ſunt mixtorum corporum vtraque ratione agendum de his nobis eſt. Prius autem tractabimus de elementis, tanquam de partibus, ex quibus conſtitutum eſt vniuerſum, deinde perſcrutabimur omnia ea, quæ pertinent ad elementa ea ratione, qua ſunt materia mixtorum corporum, tractaturi demum de ijs, quæ mixtiones elementorum conſequuntur, vt tamen ſiſtamus citra formas, & naturas proprias metallorum, & lapidum, ac etiam ſimilarium omnium partium ex quibus conſtant animata corpora.

Sed antequam quidpiam aliud dicam, illud nobis ſumendum eſt ex monumẽtis ſummorum virorum, inferiora hæc elementa, vniuerſumque hunc inferiorem Mundum, ob imperfectionem, quam habet, plurimum namque diſtat à primo principio, eſſe omni mutationi obnoxium, multumque multitudinis, ac inordinationis habere, quia plurimũ recedit ab vno, quod eſt ſtatus omnis ac ordinis principium, atque origo.

Quo fit vt multa contingant in elementis à caſu, & præter ordinem naturalium agentium, quæ non poſſunt vere referri ad aliam cauſam, præter quã ad priuationem, & ad non ens, in quo eſt abyſſus illa multitudinis, & inordinationis. Nullus ergo mirari debet ſi in

plurimis elementorum mixtionibus quas natura incohat, non tamen absoluit, quin diuersa alia via, vel rursus dissoluuntur, vel in monstra quædam desinunt, aut in alias mixtiones recedunt longe diuersas à prioribus. Vtendum nobis est hac causa priuationis inquam, seu imperfectionis, & non entis, à qua est omne ens per accidens, omnisque fortuna, & casus, quam diuinatores ignorantes putant se ex cœlesti corpore posse offerre omnium effectuum, qui hic producuntur causas, & rationes.

Hanc non entis causam etiam Aristoteles in primo Physicorum libro dicit esse rerum natura constantium causam, quæ generationi, & corruptioni sunt obnoxia, per accidens tamen; licet à posterioribus Peripateticis in reddendis causis effectuum, qui fiunt interdum, ob hanc causam omnino fuerit omissa; vnde etiam nonnulli eorum coacti sint fateri omnia euenire, ex necessitate propter cælestes, ac superiores causas necessarias.

Inde nata est Astrologia hæc diuinatrix, cæteræque huiusmodi inanes artes. Alterum quod velim lectorem attéte animaduertere id est, quod Aristoteles dicit in Meteoris, hæc elementa, inferioremque Mundum sese habere veluti

veluti materiam, corpora vero cœlestia, ac superiores mentes esse causam efficientem, quæ scilicet imprimant motu suo, lumine, & tepore illo, qui assecla est luminis diuerso quidem à calore elementari, & igneo, quem iure appellare possumus teporem Aethereum.

Hunc Platonici, & antiquiores Philosophi putauerunt esse corpus quoddam ethereum tenuissimum omnia penetrans; quod etiam magnum Naturæ seminarium eorum nonnulli vocare consueuerunt apud Aristotelem, quoniam corpus nullum, quamuis tenuissimum, quin etiam Mathematicum, aliud corpus penetrare potest, vtique nullum tale est corpus permeans inferiora hæc elementa: sed cæleste corpus æthereum est ab elementis separatum: cuius naturalis motus est circularis, ab hoc tamen corpore in elementa profluit lumen motus, & hic quem diximus tepor æthereus, non corpus, sed ætherea qualitas, quæ omnia penetrat, & permeat elementa. Huius teporis meminit in libris de generatione animalium, quem dicit ibidem non esse calorem ignis, sed proportionatum elemento Stellarum.

Cum ergo elementa sint materia, quæ formatur à corporibus cœlestibus, eorumque mentibus, nulli est ambiguũ, quin multa fiant in elementis, quorum causam referre non possumus in naturas, forma sue elementorũ proprias, sed referatur omnis eorum causa necesse est in cœlestia corpora, quorum vim, & actionem elementa recipiunt, hancque eis legem optimus Naturæ institutor imposuit, vt Cœlis pareant, ac eorum veluti dicto inseruiant.

Hæc recte animaduersa fuisse operæ pretium est, antequam ad tractationem de elementis deueniremus.

De motu, & quiete Elimentorum.

Caput Quintum.

IN elementis is ordo à nobis seruabitur, vt prius de eis agamus, quatenus sunt elementa vniuersi, ex quibus Mundus hic inferior constet, postmodum de mixtionibus, eorumque naturis dicendum erit, prout scilicet elementa mixtionis sunt. Nullusque mirari debet si ea diximus elementa esse vniuersi, quo-

quoniam Mundum componunt, & constituunt, nulla tamen sui mixtione. Nam pari ratione dicimus literas esse vocum elementa, quia voces componunt, nulla tamen mixtione, sed tantum compositione quadam non dissimili: quin potius eadem propemodum ratione Aristoteles vsus in primo Meteororum appellauit corpus cœleste elementum. Inquit enim lato primo elemēto circulariter, quod propinquum est inferioris Mundi motu disgregatum accenditur.

Elementa igitur hæc vniuersi sunt, quoniam componunt & constituunt vniuersum: verum hoc tantummodo vniuersum componunt, quoniam in proprijs locis natura sui quiescunt, & ad locos illos natura etiam mouentur. Sic partes animalis constituunt animal, quoniam quæque in suis collocatæ sunt locis, à quibus, si recesserint vspiam, confestim animal ægre se habet, doloremque sentit, qui sedatur, cum rursus fuerint restitutæ positioni, quæ naturæ earum conueniat.

Ex his illud perspicuum est tractatui, qui est de elementis prout vniuersum constituunt maxime conuenire, vt primum paucis ea percurramus, quæ spectant ad motum, & quietem elementorum, ex quibus inuestigabimus an ex motu, quieteque elementorum eorum

numerus à nobis inueniri queat, qui precipue accommodandus sit, ad congruam vniuersi constitutionem: tum demum paucis perstringemus ea fere omnia, quæ singulis eorum conueniūt, prout sunt partes vniuersi, quod congressu suo constituunt.

Elementa simplicia corpora esse supra satis perspicue vt reor ostensum est; corpori autem simplici secundum naturam conuenit motus simplex. Genera vero simplicium motuum, si ex Aristotele velimus in primo libro de Cœlo sumuntur à generibus figurarum, quæ duo sunt, recta inquam, & circularis. Sed ne ratio hæc calumniam patiatur, quod scilicet videamur, ex principijs Geometricis in Philosophia naturali conclusionem quampiam demonstrare, hocque pacto de genere descendere ad aliud genus addamus rationi Aristotelis id quod sensus experitur. Nam per se quiuis intueri potest obiectam oculis speciem vniuersi, ac deprehendere in Cœlestibus corporibus motum circularem, in elementis vero reliquis, ac mixtis pro elementi alicuius in quouis mixto eccellentia motum rectum, vel ad superiores Mundi partes Cœlique circunferentiam, vel ad centruum, infimumque locum vniuersi.

Gene-

Genera igitur simplicium motuuum duo sunt, rectus scilicet, & circularis. Motus circularis natura conuenit corpori Cœlesti, quod neque graue est, neque leue, nullique generationi, aũt passioni obnoxiũ absque labore vllo suapte narura perpetua circulatione circumagitur, de quo nihil à nobis dicendũ esse instituimus. Superior namque Mundus Diuino illo corpore plenus est, nostrum autem institutum est agere de elemẽtis, ex quibus constat inferior hic Mundus: motus simplex rectus duplex est, à medio vnus alter ad medium. Natura igitur quoduis elementum, vel mouetur ad medium, ad quod cum peruenerit quiescit, aut cõtra natura recedit à medio, ad supernasque euolat sedes. Motus huiusce recti quodnam principium sit iure ambigere quispiam potest, an scilicet elemẽto intrinsecum an potius extrinsecum quodpiam; nam in octauo Physicorum libro Aristoteles videtur connumerare elemẽta, ac omnia grauia, & leuia inter ea, quæ mouentur ab alio: ex se etenim moueri videtur solũ animalibus posse attribui, quæ etiam ex se quiescere queãt.

Pręterea ea, quę ex se mouentur diuidũtur in partem per se mouentẽ, & partem per se motam, quod nec elementis, nec denique vlli corpori graui, leuiue cõuenire potest. Nã neque ex se quiescũt,

cum eis libuerit, imo mouentur motu continuo, nisi quid obstiterit, quousque peruenerint ad proprium, naturalemque locum, neque diuiduntur, vt animalia in partem per se mouentem, & partem per se motam, constant, enim ex forma imperfectissima, & materia prima tantum, quæ est ens in pura potentia. Non ergo mouentur elementa ex se, qua de re efficitur vt ab alio moueantur, nisi velis ea immobilia efficere. Contra hæc esse videntur, quoniam elementa mouentur motu naturali, immo motus eorum simplex est, quoniam forma simplex est principium motus simplicis; Illud autem principium motus quod est natura est principium eius, in quo est, vt dicit Aristoteles in secundo Physicorum. Non ergo elementa videtur moueri ab extrinseco, & ab alio, sed à principio, quod intra ea sit. Amplius mouens proximum, & motus sunt simul, vt ostenditur à Philosopho in septimo Physicorum, cum autem grauia deorsum ferantur, & sursum leuia nullum extrinsecum deprehendi potest, nec etiam fingi, quod ea moueat. Non ergo mouentur à principio vllo, quod sit extra ipsa.

Hanc quæstionem non est admodum difficile soluere si attentè dispiciamus ea, quæ dicuntur ab Aristotele in octauo

Physi-

Physicorum, & in quarto libro de Cœlo. Nam illud maxime verum est elementa grauia, & leuia naturali motu non moueri ab vllo, quod extra ipsa sit, quodque sit efficiens proximum illorum motus, immo mouentur à propria forma, propriaque leuitate seu grauitate, tanquam à principio proximo motus, quæ in maiori mole maior est, & efficacius mouet, idest velocius.

Hoc vero est adeo perspicuum, vt sensu etiam sit exploratum, quamuis nulla ratione comprobaretur. Mouentur igitur elementa à principio intrinseco, non tamen propterea mouentur, ex se vt animalia, sed ea de causa mouentur ab alio, quoniam proximum principium motus est inclinatio ad locum, ad quem vnaquæque res mouetur; inclinatio vero in elementis propria eorum grauitas, seu leuitas est, quia deorsum sursumue tendunt. In animalibus vero propria inclinatio est appetitus siue rationalis, siue sensitiuus, vt ostendit Aristoteles tertio de Anima. Appetitus autem quicumque animalis sequitur apprehensionem, siue boni, siue mali, at apprehensio omnis est propria, & intrinseca animalis operatio, ideo animal ratione ex se mouetur, quia sibi ipsũ est causa illius inclinationis, appetitus inquã, quo mouetur; sed in elementis ni-

hil eſt, quod queat eſse cauſa grauitatis, leuitatiſque, quarum nixu mouentur: verũ generãs elemẽtũ tribuit ei ſimul cum forma inclinationem hanc, quam habet ad proprium, naturalemque locũ.

Ideo non mouentur ex ſe elementa vt animalia, ſed ab alio, à generante inquã, à quo ineſt ei propria naturaliſque inclinatio ad propriũ locum, ad quem ſemper tendunt. Et ſi à re quapiam detineantur ne eo ferantur ſemper premũt, & rem illam vrgent quæ obſtiterit, vtpote, quæ propria inclinatione ſemper ad proprium locum tendunt. Igitur non ex ſe mouentur, ſed à generante, habent tamen nihilominus principium motus intra ſe, inclinationem videlicet illam, cuius nixu feruntur ad ſuum quemque locum.

Hac de principio motus elementorũ quæſtione ſoluta rurſus alia ſuboritur quæſtio. An ſcilicet grauitas hæc vel leuitas, qua elementa feruntur ſurſum, deorſumue veluti à principio intrinſeco ſint formæ quædam, quæ ſint ſubſtantiæ, quibuſque natura, & ſpecies elementorum conſtituatur, an potius ſint accidentia, quædam, quæ formas, & naturas elementorum conſequantur.

Nonnulli qui Auerroi diſtribuunt primas partes in Philoſophia naturali ex qui-

quibusdam locis, quos in eius auctoris monumentis annotarunt pronunciauere ex Auerrois sententia grauitatem, & leuitatem formas esse pertinentes ad substantiam, & elementorum speciem constituentes, quod etiam ratione adstruere conati sunt. Nam natura est principium motus eius in quo est, cum vero grauitas, vel leuitas sint principia motus naturalis intrinseca elemētis, erūt igitur eorum natura, sed non materia, vt perspicuum est. Nam in materia elemēta conueniunt, vna etenim omnium est, & in grauitate, vel leuitate differunt, ergo erunt natura, quæ est forma.

Cæterum, quamuis hæc doctissimorū Philosophorum sententia sit nobis videtur non satis conuenire ijs, quæ Aristoteles tradidit, & ratio suadet. Etenim nulla substantia est per se sensibilis, quod Aristoteles inquit in secundo libro de Anima, sensus namque circa cortices substantiarum, versantur, idest circa accidentia; sola vero mens ad nucleum, idest ad substantiam penetrat. Sed grauitas, & leuitas per se à sensu comprehenduntur, vt quiuis experitur, ac sentit. Nec minus comprehenduntur à brutis animantibus, quam ab homine, quin Muli quidam, & Cameli fere omnes, qui impedimenta, ac merces gerunt cū sentiunt sibi plus iusto

oneris

onerosis impositum fuisse excutere conantur clitellas, ac onus impositum calcibus, & vniuerso gestu corporis significant se iniquo pondere premi. Per se ergo percipiuntur tum grauitas, tum leuitas. Igitur substantia non sunt, sed accidentia. Amplius Aristoteles in secundo libro de partibus animalium connumerat accidentia elementorum, ac post caliditatem & frigiditatem mentionem facit de grauitate, & leuitate.

Accidentia ergo non substantiæ sunt grauitas, & leuitas, neque difficilis admodum solutio rationum, quæ adductę sunt. Nam natura præter quam quod est principium eius in quo est, & intrinsecum, est principiū primum, vt in eius definitione dicitur, cui coniunctum est instrumentum proprium, idest accidens proprium, quo natura agit. Grauitas, ergo, & leuitas, quia non sunt prima principia non sunt naturæ. Verum quoniam consequuntur naturam iure dici possunt inesse secundum naturam elementis; quemadmodum etiam motus, qui ex eis principijs consequuntur secundum naturam insunt elementis. Ignis enim secundum naturam leuis est, itemque secundum naturam sursum euolat. E contrario terra grauis secundum naturam, itemque pari modo ad centrum tendit.

Neque

Neque etiam loci de Auerroe adducti multum me mouent, vt credam, Auerroem ita sensisse. Etenim sæpe numero, cum naturæ rerum proprijs nominibus careant vtimur in eis explicandis vocabulis accidentiũ, quæ notiora nobis sunt, & sensui magis familiaria, à quibus oritur cognitio intellectus. Hęc satis sint dicta de principio motus intrinseco grauium, & leuiũ elementorum.

Nunc paucis ea quæstio à nobis pertractanda. An scilicet elementa in motu naturali quo feruntur per se indigeãt medio, & quonam pacto moueantur. Aristoteles in quarto Physicorum vbi agit de vacuo inquit, quod in spatio vacuo grauia, & leuia mouerentur in tempore indiuisibili idest in istanti, & momento quod impossibile est. Ergo ad motum grauium, vel leuium per se requiritur medium, in vacuo etenim spatio moueri non possent; nam qualis est proportio subtilitatis, aut spissitudines medij ad medium talis est ratio etiã, quod æque graue eadem figura, magnitudineque præditum velocius, seu tardius moueatur alia re item æque graui eiusdẽque figuræ, & magnitudinis. Pleni vero spatij ad vacuum nulla est proportio, sicuti lineæ ad punctum; in nulla igitur temporis parte mouebitur æque graue in spatio vacuo, sed in eo tẽporis,

quod

quod se habet ad tempus, sicuti punctum ad lineam, quo efficitur, vt in instanti moueatur. Hoc autem fieri nequit, quia omnis motus est in tempore quopiam, vt in sexto libro eiusdem operis certissimis rationibus ostenditur.

Hæc Aristotelis ratio ab Auempace, viro doctissimo habita est veluti sophistica; inquit enim, quod sicut in motoribus corporum Cœlestium vbi nullum est medium, nihilque, quod eorum motum impediat velocitas motus sequitur motoris excellentiam, & virtutem. Ita etiam in grauibus, & leuibus corporibus excellentiam grauitatis sequitur velox descensus, leuitatis præstantiam velox ascensus.

Igitur per se grauius velocius descendet eo, quod est minus graue, æque vero grauia æque velociter. Per accidẽs tamẽ in motu grauiũ, & leuiũ contingit aliud impedimentũ ex medio allatũ, quod cũ ęgre patiatur se diuidi, vnũ quodque etenim sicuti natura appetit esse ita appetit vnitatẽ, quæ indiuisione constat, resistit procul dubio mediũ, & impedit motũ, tã grauiũ corporũ, tũ etiã leuiũ. Ex quo cõtingit motũ fieri tardiorẽ. Non tamen propterea sequitur, quod si fiat medium, quod prius erat spissius, longe subtilius, crescere etiã motus velocitatẽ in ea proportione, qua mediũ fuerit factũ subti-

lius;

lius; sed sequitur in ea proportione decrescere tarditatē, quæ per accidēs addita fuerat, ex medij dēsitate naturali motui, qui sequitur naturam illius corporis grauis; sicuti si pedali lineę addatur item quātitas pedalis extranea, bipedalis tota efficitur, à qua si auferatur dimidiū lineę additę, remaneatq; dimidiū tantū prioris lineę additę, quę subdupla est eius pedalis lineę, quę adiūcta fuerat, nō tamē proportio totius prioris lineę bipedalis inquā ad totū, quę remanet pedalē scilicet cū dimidia erit proportio dupla; Aristotelis igiur rationē inefficacē esse putauit Auēpaces, quin potius fallacē, & sophisticam.

Beatus Thomas vir itē doctissimus, & nunquā satis laudatus existimauit rationē illā fuisse factā ad hominē, ac ex principijs priorū Philosophorū procedere, qui adeo addicti erāt vacuo, vt absque vacuo existimarēt nullius rei motū fieri posse, quod & præclarissimo poemate Lucretij, qui Epicuri, & Democriti sententiā de vacuo conatur astruere quiuis facile perspicere potest.

Dicit ergo Beatus Thomas in vacuo motum in istanti, & momento minime fieri posse, sed omnē motū in vacuo etiā spatio fieri in tēpore. Nam fieri non potest, vt in eodē tēporis momento corpus quidpiam sit in duobus locis, quorum alter distet ab altero: igitur si gleba

quæ-

quæpiam terræ quieuerit in loco quopiam, à quo incipiat spatium vacuum, vtique datur vltimum instans huiusce quietis, vt in sexto libro Physicorum, ostensum est: quod si gleba hæc moueatur, & perueniat ad locum illum, vbi vacuum esse desinit dabitur etiam primum instans, in quo incipit esse in loco eo, qui terminus est, ad quem motu peruenit: motus namque omnis datur vltimum in quo mobile mutatum est.

Vel ergo hæc instantia, momentaque temporis re idem sunt, cogitationeque tantum distinguuntur, vel re diuersa erunt momenta; si dicas quod re idem sunt, & cogitatione solum differant efficitur procul dubio, vt in eodem momento temporis gleba hæc sit in duobus locis distantibus, quo nihil magis est impossibile: sin vera eadem momenta non sint vt necesse est fateri, interque duo quæuis momenta quamuis proxima, tempus medium sit, nam neque linea, ex punctis, neque tempus ex momentis confici potest, in eo igitur temporis spatio motus per vacuum erit: Aristotelis ergo ratio inquit Thomas ijs nititur, quæ ab aduersario posita sunt idcirco contra eum efficax est. Sed ad motũ grauium, & leuium medium non est per se necessarium, quia in spatio etiam vacuo moueri possent.

Auen-

Auerroes vero, in quarto Physicorum qui maxime excelluit ingenio, vsusque est incredibili perspicacia in eruendis Aristotelis sententijs inquit rationem Aristotelis esse efficacissimam, & mediũ spatium adeo esse necessarium in motu grauium & leuium, vt sine medio moueri nullo modo possent, quæ res vt melius intelligatur pauca quædam præfabimur.

Ex definitione motus facile quiuis intueri potest, vt alias rationes omittam quemlibet motum esse continuum; motus etenim est actus entis in potentia, quatenus est in potentia. Si ergo per motũ mobile est in potentia ad vlteriorem actum, perfectum inquam, necesse est, vt motu ipso mobile tendat ad vlteriorem actum, neque vllo pacto sistat. Continuus ergo motus omnis est, nullusque est motus indiuisibilis, & in momento temporis factus. Non potest autem esse in motu continuatio hæc ex sola virtute mouentis, nisi fuerit etiam resistentia aliqua, quam virtus mouentis superet. Itaque secundum eam proportionem, qua virtus mouentis superat resistentiam motus quoque velox est, atque in ijs motibus, in quibus proportio maior est, est etiam maior celeritas, vbi minor proportio tarditas maior est. Vbi autem virtus mouentis non supe-

ſuperat reſiſtentiam, aut non ſecundum certum, & à natura conſtitutum exceſſum ſuperat, nullus efficitur motus; de qua re in ſeptimo Phyſicorum libro ab Ariſtotele luculentiſſime eſt tractatum. Ex quibus ſequitur propoſitionem ſumptam ab Auempace minime veram eſſe, velocitatem ſcilicet motus ſequi tantam virtutem mouentis nulla facta de reſiſtentia mentione.

Non tamen propterea quiſpiam putet reſiſtentiam eſſe non poſſe niſi vbi vis inferatur, & fiat motus contra inclinationem rei mobilis. Nam interdum reſiſtentia eſt cum vi; quandoque autem, poteſt eſſe reſiſtentia ſine vlla vi: ſi enim mobile ita ſit à natura factum, vt in motum quempiam inclinetur, in ipſo autem non ſit principium actiuum motus, ſed paſſiuum tantum, vtique abſque, mouente non mouebitur, quamuis ſuapte natura tendat in eum motum. Sicuti autem à natura in eum motum inclinatum eſt mobile, vt ſcilicet à mouente naturaliter moueatur eo motu, & non alio, ita etiam à natura quam habet effectum eſt, vt ab vllo mouente, moueri nequeat, niſi quod certu exceſſu exceſſerit virtutem mobilis, & actũ, quem mobile habet, eoque exceſſu certa quadam velocitate moueat, ampliori vero exceſſu celerius quoque moueat.

Mobi-

Mobile ergo, quod certam naturam habet, quamuis ea natura inclinetur ad motum quempiam resistit tamen mouenti per eamdem naturam, & actum sine vlla vi, ne velocius, tardiusue moueatur, quam deceat excessum eum, quo exceditur à virtute mouentis.

Necesse est ergo in omni motu esse resistentiam, aliter namque continuus motus esse non posset, resistentia tamen esse posset sine vlla vi; quo fit vt in corporibus cœlestibus, cum actum quemdam habeant, certamque naturam, qua ad certum motum inclinantur velocitas motus sequatur proportionem excessus virtutis mouentis, quo superat naturam, & perfectionem propriam mobilis, licet ibi nulla sit vis, omniaque fiant secundum naturam.

Ideo Aristoteles in secundo libro de cœlo inquit, si stella adderetur cuipiam orbi, aut orbis ille ab eo motore nō moueretur, aut tardius moueretur; nam ex perfectione stellę additę nō amplius mo eo excessu superaret mobile, sed minori: at in elementis, quæ sunt composita duobus tantum principijs simplicissimis, forma scilicet simplici, & materia prima, quæ est ens in pura potentia, nec determinata est ad quampiam naturam, vtique principium actusi motus forma est & grauitas, seu leuitas.

Mate-

Materia vero, quæ principium passiui est, nullum habet actum, nullamque naturam; Ideoque ex ea resistentia nulla sumi potest, siue cum vi, siue sine vi resistentiam velis, nam vis esse nequit vbi nulla est natura, nullus actus, contra cuius nixum fiat; Nulla item est ad motum quempiam determinatum, & certum inclinatio, vbi non est determinata natura, ac certus quispiam actus.

Ergo in motu naturali elementorum, si principia tantum intueamur, ex quibus elementa constant nullam inueniemus resistentiam, quæ tamen necessaria est in quouis motu, nisi fuerit motus indiuisibilis, quod esse non posse supra ostendimus ex definitione motus.

Cogimur ergo inuenire resistentiam in medio, quod vi diuiditur, ac dispellitur ex impressione elementi, Idcirco Aristoteles verissima ratione vsus est in quarto Physicorum, velocitatemque elementi tantum sumpsit ex spissitudine, ac raritate medij; neque illa addita est naturali velocitati, vt dicit Auempaces vir alioqui doctissimus; quia demas medium nulla est velocitas motus, quin potius nulla continuitas, cum nulla ibi sit resistentia.

Quod vero acutissime inquit Beatus Thomas, non diffitemur, impossibile esse

esse vacuum quodpiam spatium esse in rerum natura, quod si quis esse posuerit nihil esse absurdi videri debet si positioni impossibili addideris veras proportiones, sequi posse contradictoria. Ex positione igitur vacui sequitur in eo vacuo spatio fieri motum non posse nisi indiuisibilem, quoniam in inani nulla est resistentia. Item sequitur motum esse in tempore, qui fit per spatium extensum, & quantum, & à loco in locum alium; per se ergo medium requiritur ad motum elementorum, quod ni sit moueri vtique nont possunt.

Qua de re quidam Philosophi, nostra tempestate illustres dixere elementa per accidens moueri, quoniam mouentur ad motum alterius medij. Nos vero elementa dicimus non simpliciter moueri per accidens, sed per se moueri, quodam tamen modo commode posse dici elementa moueri per accidens. Illud namque proprie, & simpliciter mouetur per accidens, quod ita mouetur, & fertur, sicuti is qui in curru vehitur, aut in naui; in quinto Physicorum commode de hoc agitur.

Si ergo elementa simpliciter mouerentur per accidens nimirum oporteret elementa per se neque surxum ferri

neque

neque deorsum, verum inherere alicui, quod moueretur per se illis motibus. Constat tamen elementa non ita moueri, sed ipsa suo nixu tendunt deorsum, sursumue. Neque fingere est quodpiam aliud in quo hereant, quod eis motibus per se moueatur; aliquo tamen modo per accidens elementa mouentur, quoniam propterea mouentur, quoniam medium disrumpitur, & diuiditur ex illorum nixu, & quo citius medium sectum fuerit eo celerius mouentur, neque aliunde resistentiam habent præter quam ex medio. Hac ergo ratione non iniuria concedere possumus elementa naturali motu moueri per accidens.

Sequitur tractatio

De motu, & quiete Elementorum.

Caput Sextum.

His liquidatis alia suboritur quæstio, cur scilicet elementa grauia, leuiaque omnia, quæ mouentur, prout natura fert elementi, quod in eis cæteris dominatur citius, & celerius semper moueantur

moueantur, quousque eo peruenerint quo tendunt. Huius rei causam nonnulli adscribunt impetui, inquiunt enim maiori semper impetu hæc omnia ferri, ideoque etiam celerius moueri.

Sed cum eos magis vrges, interrogasq; quidnam sit impetus iste, quæ potiotis? vnde veniat in Stoichea, vel tacēt vel confingunt commenta quædam, quę non satis intelligi queunt nedum sunt. Nonnulli alterari atque affici elementa putant à proprio naturalique loco, quæ, quo magis eo appropinquant eo, magis afficiuntur; vnumquodque etenim magis afficit propinquam rem quam distantem.

Cæterum si ab his quæras, cur nam si idem lapis, seu eadem terræ gleba delata fuerit deorsum, spatioque quinque passuum tantum descenderit, eademque iterum sublata, e solo in quod decidit idem solum repetat vnius tantum passus spatio delata, postrema inquam parte prioris spatij quinque passuũ, longe celerius per eum passum postremũ priori motu descenderit, quã posteriori hoc, cum tamen à centro eodem interuallo distet & hoc posteriore motu, & priore, cum ferebatur per postremum hunc passum quintum inquam; nimirum silent, neque aliquid habent, quo positionem causamque suam tueantur.

Ideo dicimus nos huiusce rei plures causas esse, quæ vt reor in vnum conueniunt, faciuntque motum velociorem, ad finem vsque.

Primo namque vt in octauo Physicorum Aristoteles dicit, vbi tractat de motu eorum, quæ proiecta per se mouentur, inquiritque à quonam moueantur, post quam liquerint proijcientem hominem seu mechanen, animaduertendum est eam esse naturam aeris, & aquæ, vt in propria naturalique sui ipsorum sphæra, si à quopiam impellantur quoquo versus suo nixu post impulsum eum primum aliquo spatio feruntur, ac aliquantisper motum citatiorem faciũt, deinde paulatim motum sistunt, donec plane conquiescant.

Huic addas, quoniam vacuum spatium esse quodpiam natura maxime abhorret, ne Mundi vnitas tollatur, idcirco cum in Aqua vel in Aere quidpiam, mouetur simul ad illius terga concurrunt partes proximæ Aeris, vel Aquæ, quæ prius pulsæ proprio deinde nixu pellentem se pellunt, & vltra promouent. Hæ vero, quo plures fuerint, maiorique nixu pulsæ, eo citius, & vehementius concurrentes ad terga mobilis illius illud impellunt, ac mouent.

Cum ergo Terræ gleba deorsum descenderit vtique aerem secat, & deorsum

ſum pellit, partes vero aeris diuulſæ concurrunt ad terga glebæ, eamque viciſſim deorſum pellunt, quo fit, vt naturali nixu etiam hic addatur, ac propterea velocius gleba moueatur; quæ item velocius mota maiore nixu aerem pellit, & ſecat, vehementius diuulſi aeris partes concurrentes ad terga, & plures, quam priores, & velocius motæ magis adhuc glebam impellunt, quo fit, vt citius gleba deſcendat, parique ratione ſemper citius, quouſque ad ſolum peruenerit, in quo quieſcit.

Hæc cauſa veriſſima eſt, vt quiuis facile intelligere poteſt, cur grauia, & leuia quanto magis acceſſerint, ad ſuum quæque locum tanto moueantur celerius. Præter hanc eſt & alia cauſa. Nam res mota in aere præterquam quod aerem ſecat, impellit etiam deorſum inferiorem aeris partem, antequam deſcendens amplius ipſam quoque ſecuerit. Nulli autem dubium eſt, quin medius aer, ſi in contrariam partem moueatur magis obſiſtat ei, quod contra eius impetum mouetur, quam ſi quieuerit; item ſi quieſcit magis reſiſtit deſcendenti glebæ, quam ſi in eamdem partem moueatur, ad quam fertur elementum, ſeu gleba, quæ deorſum per eum aerem fertur.

Quin etiam perſpicuum eſt, quod,

quanto celerius aer fertur in eamdem, partem, tanto minus obsistit. Cum ergo terræ gleba peruenerit ad partem illam aeris, quam iam vi, nixuque suo deorsum impulit, certissimum est, quod ob minorem obsistentiam velocius descendet; quamobrem magis propellet proximam aeris partem, ad quam cum deuenerit ob minorem eius resistentiam, adhuc velocius mouebitur, quã prius.

Itaque hac ratione semper motus fiet velocior, quousque peruenerit ad locũ cum, in quo secundum naturam quiescit. Duæ hæ rationes mihi videntur verissime adduci posse, cur scilicet grauium, & leuium corporum naturalis motus semper fiat velocior, quousque ad finem peruenerit. Nonnulli præterea, addunt hanc quoque rationem tertiam: inquiunt etenim, cum natura omnis ab intelligentia dirigatur, nihil absurdum esse, si in operationibus naturalium, agentium interdum perspiciamus aliqua rationis vestigia; hinc esse, vt alia, innumera omittam, quæ omnibus obuia sunt in generatione animalium, & plantarum, earumque operationibus, atque accidentibus, quod videmus aquam calefactam citius ab aere frigido frigefieri & coagulari, quam frigidam, quoniam, scilicet magis imprimit frigiditas in, contrarium, quam in simile; sic fiunt

anti-

antiperistases, compluraque huius generis mira. Hac ergo de causa euenire, dicunt, quod res grauis, seù leuis, quanto diutius mota fuerit secundum naturã, locoque naturæ sibi debito propinqua fuerit, tanto magis niti, & premere, nulla tamen propterea addita qualitate, aut pondere, sed eodem naturali pondere, magis, ac vehementius niti, quanto longiori spatio delata fuerit, & fini propinqua.

Hanc causam neque improbandam, neque approbandam mihi sumo, sed cum duæ supra expositæ optime mihi satisfacere videantur, sineque ope intelligentiæ, ac rationis cuiusdam ex accidentibus eorum motuum causam afferre satis mihi sint duæ priores causæ.

Inuestigatur numerus Elementorum.

Caput Septimum.

POSTQVAM à nobis sere omnia exposita ad motum rectum, ac simplicem elementorum inuestigemus, quot nam sint elementa, ex quibus constituitur vniuersum præter primum

Huiusmodi ergo medio contraria, seu extrema maxime efficiuntur vnũ. Ignis igitur, & Terræ Mũdi elemẽta extrema huius rationis medio cõiungi opus est, si Mundus maxime vnus effici debet. Verum vt à Geometris demonstratur inter duas superficies planas vnum tantum medium in hac geometrica proportione inueniri potest. At in corporibus solidis hoc fieri nequit vnico medio corpore, quod ita se habeat ad extrema corpora, quemadmodũ supra diximus, quatuor se habere ad duo, atque ad octo: sed duo corpora oportet esse media, quibus extrema vniantur hac proportione geometrica. Hoc Euclides euidentissime, demonstrat. Igitur in Mundi constitutione ignis, & terra si coniungi optima ratione debeant, duobus indigent corporibus medijs.

Merito ergo ab optimo, & sapientissimo rerum opifice aer, & aqua collocata fuerunt inter ignem, & terram. Mundus igitur summa ratione ex quatuor his elementis constat, igne scilicet aere, aqua, & terra. Hæc Plato in Thymeo.

Nobis vero neque illud in præsentia discutiendum ducimus, an scilicet lux absque igne esse queat, nihilque tactu percipi sine terra, itemque an corpus æthereum Cœlorum inquam sit

igneum, vt sensisse etiam hoc in loco videtur Plato.

Id tantum dicimus hanc Platonis rationem de medijs elementis inter ignẽ, & terram non esse sumptam ex principijs proprijs, quæ per se conueniant corporibus naturalibus, sed sumptam fuisse à quantitatibus Mathematicis: itaque de genere in genus aliud processisse videtur Plato. Cæterum quoniam consimili argumentationis genere videtur Aristoteles vsus fuisse in primo de Cœlo in ostendendis generibus motuũ simplicium, rationem etenim sumit à figuris Geometricis, vt superius adnotauimus, quoniam tamen ea ratione sequebatur id quod sensu conspicimus verum esse, duos scilicet esse motus simplicium corporum, & simplices rectum inquam, & circularem; sic etiam cõcedamus Platoni rationem sumptã à Geometris de duobus elementis medijs, quandoquidem constat, sensuque deprehenditur duo esse elementa media inter ignem, & terram, aerem scilicet, & aquam.

Nos vero in ostendendo elementorũ numero vtemur ratione Physica sumpta à natura motus recti, ad medium videlicet alter, & alter à medio. Nam sphærica figura duos hosce veluti terminos habet, centrum, inquam, & circunferentiam;

tiam; corpus ergo vnū est simplex, quod etiam appellamus elementum, quod ad medium fertur, alterum à medio ad circunferentiam tendit: prius omnino, & simpliciter graue est, posterius omnino, & simpliciter leue, terra, scilicet, & ignis.

Verum quoniam natura, quantum fieri potuit conata est etiam in contrarijs, & diuersis generibus referre vnitatem, miroque artificio omnia ita inuicem colligauit, vt postremum superioris generis maxime propinquum sit supremo generis inferioris, vt hac ratione vniuersa entia indiuisa inter se quodam modo essent, & vnam speciem vniuersi facerent; necesse ergo fuit ad Mundi constitutionē, vt hæc duo extrema elemēta graue, inquā, simpliciter, & leue simpliciter medio quodā modo vincirentur.

Huiusmodi vero mediū vnum tātum esse nō potuit; nam locus vnius corporis medij, qui ei natura deberetur nimirum medius esset inter centrū, & circunferētiam æque inter ea extrema medius. Hoc ergo mediū corpus absolute dici nō potest, quod natura tēderet ad mediu, neq; natura recederet à medio, sed vterque horum motuum pari, & æqua ratione ei corpori conueniret, ab eodēque negari posset; nam cum natura moueretur ad locū hunc mediū æquo distantem interuallo ab illorū vtroque, circumferentia

ſcilicet, & centro, vtique locus ille non magis pertineret ad medium, quam ad circumferentiam attineret.

Motus ergo huius corporis ſimplicis recti ad neutram ſpeciem motus recti referri poſſet, ac propterea vere, ac proprie motus rectus nequiret eſſe: omnis namque motus rectus vel eſt ad medium vel à medio; neque dici poſſet abſolute aut graue, aut leue. Quamobrem efficitur ſi recti motus naturam ſeruare voluerimus in quolibet corpore ſimplici recto, vt vnum tantum medium eſſe nequeat inter ignem, & terram.

Erunt ergo duo media, quorum vtrumque graue eſt, & leue, vtrumque & à medio, & ad medium mouetur: abſolute tamen alterum eorum leue eſt, & ſecundum quid graue, item abſolute mouetur à medio, & ſecundum quid ad medium tendit: alterum vero abſolute eſt, & ſecundum quid leue; item abſolute mouetur ad medium, & ſecundum quid mouetur à medio, quod in vno tantum medio inter extrema dici non poteſt, vt modo oſtendimus.

Duo igitur neceſſe eſt eſſe media elementa, ſi natura definitione motus ſimplicis recti eſt accommodanda medijs elementis. Quintum vero elementum inter quatuor hæc medium eſſe nequit

eadem

eadem de causa, qua vnum tantum ter-tium diximus esse non posse, nam quinto huic medio motus rectus nullus accommodari posset, neque absolute graue esset, neque leue absolute, si grauitas, & leuitas in eo essent pares. Plura vero, quam quinque si quis fingere vellet iam conuinceretur sensu ipso longe falli, & tota, vt aiunt, errare via.

Quatuor igitur elementa hunc vniuersum componunt ignis, aer, aqua, & terra, de quibus sigillatim nonnulla percurremus infra. Attamen primo huic volumini modum statuemus, si superius constitutis de motu grauium, & leuium addiderimus id, quod Aristoteles dicit in quarto libro de Cœlo; terræ, scilicet, quoniam omnino grauis est nullibi leuitatem conuenire, ignem vero, quoniam omnino leuis est nullibi grauem esse, aeri vero, & aquæ elementis medijs vtrumque accommodari, nam alicubi graues sunt, alicubi leues. Aqua etenim in ignis loco & aeris grauis est in terra leuis. Aer in terra, & aqua leuis, in igne grauis. Præterea tum aqua, tum aer in proprijs, naturalibusque locis alio quodam modo sunt & graues, & leues, magis tamen vterque grauis, quã leuis, quod quamuis vtrique conueniat magis tamen conuenit aquæ quam aeri. Sunt inquam graues & leues in locis

pro-

proprijs alia quadam ratione, quam extra locos proprios; nam extra proprios locos tum aqua, tum aer constituti violenter quiescunt, & ab eis recedere nituntur, ad naturalesque locos tendere, & in locis proprijs eorum vtrumque corporum secundum naturam quiescit, inde moueri non appetit; verum si impellantur tam aqua, quam aer in proprijs constituti locis suo nixu mouentur quoquo versus, in latus scilicet sursumque, & deorsum. Facilius tamen & pronius deorsum feruntur, quam sursum: ideo hac ratione in locis proprijs & graues sunt, & leues, magis tamen graues, quam leues; quod si etiam partem aquę, seu terræ summoueris contingentē corpus aereum, aer facile in eum locum descendit facilius adhuc, & pronius descēdit aqua si terra subtracta fuerit: contra si aer superior aquam portingens accesserit, sublatusque fuerit difficile magnaue vi aqua sursum euehitur. Parem rationē credibile est, si ignis aere superior ipsum tangens remoueretur, futurā in aeris adscensu, licet minore fortasse vi aer in locum ignis succederet, quam aqua in locum aeris; sicuti contra aqua procliuior est ad descendendum quā aer.

Huiusce rei Auerroes præclarissimus auctor duas causas affert, cum mixta omnia generentur in Mundi imo; ex

 gle-

elementis vero mixta constituantur, recte à natura factum esse in elementis, quæ non sunt omnino leuia; sed aliquam grauitatem habent, vt proniora sint ad descendendum ad locum medium, quam ad recedendum ab eodem medio loco. Hæc ratio sumitur à causa, ea, quæ finis, est; aliam præterea addit, inquitque humiditatem magis affinem esse grauitati, quam leuitati, res namque omnes factas humidiores, pariter fieri grauiores. Cum ergo tum aer tum aqua humidissima sint corpora hinc esse quod proniora sunt ad grauitatis nixum, quam ad eum, qui est leuitatis.

Præter hanc, quam attulimus rationem, quod elementa quatuor sint, ignis scilicet, aer, aqua, & terra. Aristoteles in primo Metheororum, aliam adducit sumptam ab Analogia, & proportione, quæ inter elementa esse debet quoad materiam. Nam elementa contraria sunt, quamobrẽ si horum quidpiam fuerit maius iusto nimirũ actione, & vi sua corrumpet, & destruet elementa sibi contraria. Ideo eam oportet esse inter illa corpora analogiam, vt æqua sit in omnibus materiæ portio, quamuis rarioribus, densioribusue dimensionibus, vel compacta in vnum, vel expansa, & resoluta, prout cuiusque eorũ natura exigit; quo fieri vt præter aquam, & terram

sensi-

sensibus manifestam! id quod reliquum est spatium infra Coelum vnum tantum corpore plenum esse non possit sed duo sint oportet.

Planius, ac diffusius quisque hæc legere poterit apud Aristotelē in Meteoris, quamobrem nobis satis sit hanc postremam innuisse rationem, quæ vero de singulis elementis dicenda sunt in sequens volumen differantur.

Explicit Liber primus de Elementis.

DE

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE

LIBER SECVNDVS.

De Sphæra ignis in concauo Lunari contra Neotericos.

Caput Primum.

EQVIDEM homines aliquando pecudes imitantur quoad mores. Nam ſi fortè acciderit, quod ipſarum vna in fluuium ſe proijciat, reliquæ ſimiliter ad exẽplum primæ in aquam dant ſe præcipites. Eodem fere modo noſtro ſæculo euenit, cum enim Neotericorum aliqui aſſererent non dari Sphæram ignis in con-

in concauo Lunari fere omnes Philosophi, & Astrologi neglectis antiquorum sententijs nouæ opinioni adherentes vnanimes non dari ignem supra aerem affirmarunt.

Cuius erroris vis ita propagata fuit per totam Philosophorum, Astrologorumque Rempublicam, vt ego quoque superioribus annis, cum Aerologiam composui, hanc tamquam probabiliorem opinionem approbarem. Sed postea placente Deo errorem inueni, qua de causa sophi omnes maximas Deo referant gratias, quod veritas diu oppressa nostris temporibus illucescat. Philosophique omnes, qui non sine temeritatis nota euaserunt, pristinum decorem acquirant. Veh nobis si sphæra ignis non esset in concauo Lunari. Quantum enim frigiditas à Luna, nocteque orta intenditur, tantum ab igne in Lunari concauo remittitur sine quo animantium vita, omniumque vegetabilium non produceretur.

Tota aduersariorum opinio argumento fortissimo adherebat, quod enim nemo solueret Philosophi se victos fatebantur, ignemque in Lunari concauo negabant. Nos ipsum inualidum, & nullum facillime ostendemus, quo facto tota corruit machina, ad pristinamque sententiam redire oportet, sed antequam

quam ad ipsum confutandum deueniamus aliqua notanda à nobis erunt.

Satis supra in vltimo primi libri capite probatum fuit, quatuor esse elementa rationibus etiam Physicis, quibus facile confutatur, reprobaturque opinio aduersariorum, & præsertim Cardani in libris de rerum varietate, & subtilitate, qui asserit tria tantum esse elementa, eaque frigida sui natura, nempe terram, aquam, & aerem, cuius opinionem si quis tueri velit infinita etiam absurda concedere debet.

Nam si aer sui natura esset frigidus, aut esset siccus, aut humidus, si humidus esset aqua, si siccus terra, quandoquidē, vt nos docet experientia terra sui natura sit frigida, & sicca, aqua vero frigida, & humida. Porro si aer esset frigidus elementa non essent contraria, essent enim amica per frigiditatem innatam, & per calorem communicatū ab Aethere ergo ex elementis nulla fieret generatio, & corruptio.

Calor seu tepor æthereus (vt diximus) perficit Mundum, & est veluti anima elementorum, & in mixto habet rationem perfectionis, ex quo oriuntur multa admiranda, virtutesque occultæ plantarum, & lapidum nobis ignotæ. Cœlum enim non est elementum. Si possumus facile explicare omnes difficultates

cultates concedendo ignem in concauo Lunari, cur ad Cœlum confugiendum, tanquam ipsum sit obnoxium generationi, & corruptioni, vt cætera elementa, cum sit ipsum potius, vt dixi, forma elementorum, & sicut se habet ignis ad cætera elementa plurimum enim habet formæ, minimum materiei sic etiam Cœlum ad totam massam elementorum.

Falsum est dicere aerem frigidum esse sui natura, nam si arte, aut casu reddatur frigidissimus, tamen non erit terra aut aqua, nec in terræ, aut aquæ sphera permanebit, sed ad suum locum aduolabit, cum in terra & aqua sit leuis, ergo habet leuitatem à propria forma, scilicet à calore sibi insito non autem à calore extraneo; nam quod natura insitũ non est citò deperditur, sicuti cum sit terra, & aqua natura frigida, etiam si calefiant, tamen cito natura sua refrigerantur.

Si aer per flabellum motus refrigerat aquam, vt inquit Cardanus, hoc pluribus de causis accidit non quod sit propria natura frigidus. Nam aer prope nos impurus est ex cõtactu terræ suisque exhalationibus, & grauitatem aliquam cum frigiditate connnectam habet, quã non habet Aer in parte sui media vel suprema. Porro rarefactio calefacit, vbi

con-

condensatio refrigerat, sicuti probamus in aqua, quæ quo plus densatur plus frigescit, rarefacta vero calefit, cum proprium sit caloris rarefacere, frigoris vero condensare; sic etiam aer dum mouetur per flabellum partes aeris rariores per vim condensantur, & sic refrigeratur; & quo maior vis fuerit maior inde orietur frigiditas, non autem, quod natura sua aer sit frigidus, cum densitatem, & soliditatem paucam habeat.

Frigus enim diu non habitat nisi in corporibus solidis vbi aptam sedem inuenit; nam frigiditas actiuitatem paucam habet, resistentiam vero multam, caliditas vero minimam resistentiam, actiuitatem vero maximam. Ideo cum corpora frigida resistere debeant maxime debent esse solida, & impenetrabilia vulgariter loquendo. Corpora autē calida cum debeant agere in frigida, maxime rara debent esse, & sic contraria sunt elementa, ex quibus tam magnam rerum varietatem cernimus.

Sed Cardanus aliquando fortasse ad sui ingenij ostentationem plus gaudebat in paradoxis quam in veritate indaganda; Encomium enim agens Neronis hoc confirmat; quē qualis fuerit, cineres ipsius à Pasquali Secundo Pont. Max. iactæ in Tiberim mirifice ostendunt.

Omnia

Omnia aerea ardent facilius quam aquea, & terrea, & sunt pabulum conuenientius igni, itaque omnia aerea accedunt maximè ad naturam ignis. Ignis enim vbi plurimam resistētiam reperit, reperit etiam plurimum contrarietatis, vbi minimam minimum: hac ratione igitur aerea erunt calida non frigida. Quod vero ignis sit calidus experientia magis, quam ratione probatur contra eos, cum quibus, dum negant clariora luce non est disputandum.

Quod detur ignis vero in aliquo loco, & supra aerem negari non potest, nam sicut apud nos habemus terram, aquam, aerem, & ignem, eosque contrarios, quos sensu palpamus, vtique ignis, sicut terra aqua & aer debet habere propriam sphæram. Et sicut ex grauitate arguitur sphæra terræ, & aquæ, quorum altera simpliciter est grauis altera vero secundum quid, quare ex leuitate arguere non possumus sphęram Aeris & ignis, quorum alter sit leue secundum quid, alter vero leue simpliciter, cum contrariorum eadem sit ratio, & ignis natura sua tendat super aerem.

Si dicimus vt quidam finxit ignis sphęram esse in centro, absurdum est dicere corpus maxime rarum, & leue esse in centro vbi terra debet esse maxime densa, & grauis. Ita etiam in aere aut aqua

non

non poterit esse ignis sphæra; sed supra aerem: sequeretur enim, corpus rarissimum leuissimumque esse in loco vbi sunt corpora minus leuia, aut grauia, quod in rerum natura esse non posse sensu percipiet si quis vel leuiter Physicæ principia hibauerit.

Patet ignem esse in concauo Lunari nam si terra attingit aquā, aqua aerem, quare aer non debet attingere ignē: nulla est maior ratio vnius quam alterius. Nam elementa, vt hunc Mundū constituant etiā si contraria sint, debent tamen aliquo vinculo connecti nēpe ordine, vt ex ipsis hoc modo dispositis omnis mixtio oriri possit, cū autē mixta resoluūtur in prima corpora vnumquodque tendit ad propriam Sphæram; sapientissimus enim Orbis Creator ita elemēta disposuit, vt graue simpliciter haberet supra se graue secundū quid; graue secundum quid leue secundū quid; leue autē secūdum quid leue simpliciter, & hoc sufficit dixisse pro nūc, ne lōgitudine lectorē fatigemus: si plura oportebit dicere, plura dicemus semper indefessi; descēdamus modo ad argumentum aduersariorum.

Dicunt aduersarij si daretur sphæra ignis in concauo Lunari radij stellarum per tria diaphana ad nostros oculos peruenirent, ideo magna fieret parallaxis, & loca stellarū non viderentur

vbi

vbi ſunt. Sed contrarium probamus Ergo &c.

Circa quod argumentum notari debent aliqua de viſu. Relinquimus nunc quæſtionem an viſus fiat per extromiſſionem, an per inrromiſſionem ſolum id lectorem admonitum eſſe volumus quod radius lucidus rei obiectæ arboris v.g. antequam videatur ab homine vel aliquo alio animante neceſſe eſt vt tranſeat per aerem primum, per ocul pupillam poſtea, perque oculorum humores, ſicuti aliquando clauſis feneſtri omnibus domi intus manentes relicto tamen rotundo, ſed pauco orificio, dum dies eſt, ſi ipſi orificio vitrum appoſuerimus, & ex aduerſo orificij paginam albam, in illa pagina non ſecus, ac in pictura ſitum, coloremque omnem rerum obiectarum videbimus, ſed ſi accidat quod aliqua nubes fumus, exalatioque craſſa ſit in aere medio tunc confunditur viſio illa, & confunduntur colores. Ad maiorem intelligentiam hoc expoſuimus. Nunc ſciendum eſt quod parallaxis non fit, quod radius viſiuu tranſeat per plura corpora diaphana ſed quod non tranſeat per corpora diaphana ordine quodam diſpoſita ad perfectionem viſus ſicuti dum tranſit pe aliquod corpus diaphanũ, quod habea aliquid craſſitiei, quod accidit in aere

dum

dum vaporibus, exhalationibusque plenus est, tunc etenim radij stellarum indicabunt stellas maiores, aut in loco vbi nō sunt, quomodo dum aer est crassus Sol citius oritur, quam deberet, tardiusque occidit, non quod citius oriatur, tardiusque occidat, sed quod per parallaxim apparet vbi non est. Sic etiā videmus res maiores aut remum fractum in aqua, cum non sit fractus.

Ad visum itaque probatum, & iustum requiritur, vt radius visiuus transeat per corpora subtiliora, & lucidiora humoribus, qui in oculis nostris sunt, & si aliter fiat; fit parallaxis.

Ad hoc confirmandum ex sententia aduersariorum si diuersa corpora diaphana, & non crassities corporum esset causa parallaxis, vtique, etiam si non daretur sphæra ignis in concauo Lunari, tamen deberet fieri per aduersarios parallaxis, cum radius visiuus stellarum transeat per duo corpora diaphana diuersa antequam deueniat ad oculos, sicuti etiam facit remus in aqua immersus qui apparet fractus, & hæc essent Aer, & lucidum expansum. Sed parallaxis non fit, ergo non fit à multitudine, sed a crassitie corporum. Ideo dicendum erit, quod dum fulget stella non fit parallaxis, quia radius stellæ transit prius per corpus subtilius, lucidiusque

aere:

aere: in remo autem in aqua immerso fit parallaxis; radius enim visiuus remi transit primum per corpus crassius aere postea per aerem. Et hoc modo experientia edocti omnes parallaxes obseruabimus. Itaque dum corpora ita sunt disposita, vt ordine quodam radius rei obiectæ transeat primum per subtilius corpus, postea per crassius, non tamen crassius humoribus nostrorũ oculorum; sed eam crassitudinem habeat, quam habet aer à vaporibus exhalationibus, cæterisque rebus crassis liber, tunc nulla fiet refractio & parallaxis; corpora autẽ ita disposita sunt hæc. Lucidum expansum subtilius, & lucidius igne; Ignis subtilior, & lucidior aere; Aer subtilior, & lucidior humoribus, qui in oculis nostris sunt, & hæc quatuor corpora requiruntur ad videndos radios stellarum Solis, aut Lunæ.

Et si supra æther esset aliquod corpus rarius lucidius, & subtilius lucido expanso, neque etiam fieret parallaxis, dummodo per lucem maximam non hebetaretur visus, sicuti fit in Sole.

Lector dum hæc placent sententiam mutes si aduersarijs adheres. Si non placet valentiora argumenta obijcias, si non feceris, & obstinate aduersariorum sententiam tuearis te pro momo reijciam.

ciam. Hæc de ſphæra ignis in concauo Lunari breuiter dixiſſe ſufficiat.

De Igne.

Caput Secundum.

CVm ita natura comparatum ſit, ac certiſſima ratio nobis perſuadeat vnumquodque, quod ab aliqua cauſa in lucem prodit, quantum fieri poteſt pro Naturæ ſuæ captu referre imaginē, ac ſpeciem illius cauſæ à qua effectum fuerit, Munduſque hic vniuerſus eſſe, & naturam quam habet acceperit, ſēperq; accipiat à primo rerum principio, quod maxime omnium eſſe vnum eſt demonſtratum in prima Philoſophia; idcirco maxime quoque vnus eſt Mundus: quamuiſque multa, & innumera fere intra ſe contineat, ea tamen ita inuicem coniuncta ſunt, ac ſuperioribus ea, quæ deinceps ſunt adeo coherent, vt quiuis, qui aciem mentis paulum intenderit perſpiciat, facileque deprehendat Autoris vnitatem mira hac partium coniunctione luculentiſſime vniuerſum pro ſui natura referre, ac mirifice æmulari.

Ideo cum poſt corpus ęthereum diuinū, & immortale primo loco collocatus

sit ignis (vt supra ostendimus) maximè elementorum omnium, quantum mortalis natura imitari potuit immortalem propinquus est ignis cœlesti, & æthereo corpori: nam & naturali motu ignis ad Cœlum tendit tanquam ad proprium locum, naturaque sibi debitum, à quo præcipue foueatur, & conseruetur.

Obtinet etiam qualitatem, & virtutẽ degenerantem quidem ab ętheris qualitate, & diuino eo tepore æthereo, ei tamen propinquam, caliditatem scilicet summam, quam etiam calor ille æthereus, ac lumen cœleste generat, si fuerit paulo intensius. Caliditas hæc ignea qualitatum omnium primarum maxime actiua. Hac item Mater rerũ omnium natura vtitur. vt præcipuo instrumento in generatione, & conseruatione mixtorum omnium, præcipue quæ animata sunt, alijsque perfectiora. De qua infra plurima dicenda supersunt, quæ hoc in loco omittimus.

Ignis item purus hic, & elementaris maximam inter res mortales omnes obtinet raritatem, ac propterea minimum materiei habet, vtpote, qui præcipue accedat ad naturam formæ, ac veluti absolutus sit à crassitie materiæ: suapte etiam natura non aliunde lucet, lumenque naturale habet non aliunde

mutua-

mutuatum quamuis non adeo magnum, vt alijs quoque rebus, corporibusque propinquis valeat lumen impartiri si in propria, naturalique raritate perstiterit: verum cum primum fuerit adscitus ad materiam densiorem, quæ tamen non sit omnino opaca sed aliquo modo peruia confestim lumen emittit.

Calore igitur, & lumine, & raritate substantiæ, proindeque paucitate materiæ, formæque præstantia, actionis quoque vi ad generationem mixtorum omnium procul dubio ignis æmulatur præstantiam cœlestis corporis. Ideoque quemadmodum vniuersa hæc elementorum sphera se habet, vt supra dicimus, veluti quædam materiei massa, & moles, quam corpus cœleste effingit, & format, ita cætera tria elementa si igni comparentur habent se tanquam materia, ignis vero forma eorum est, & figulus, qui ex illis mixta omnia efficiat.

Verum hæc à nobis inferius aptiori loco diffusius differentur, cum de mixtione, elementorum verba faciemus. Præterea ignis magnitudine, qua in immensum diffunditur imitatur corpora cœlestia; nam cum elementa proportionem hanc inter se habeant, vt æqua sit materia omnium, eamque proportionem habeat elementum vniuersum ignis ad terræ elemẽtum, quam

habet ad certam quamdam glebam ignis ille, qui ex ea generari potest, nimirum omnibus perspicuum est, vel ex minima ligni parte, quod terra longe est rarius, tam magnam ignis copiam generari, vt si perdurare tota ea vis ignis posset, simulque conspici incredibilis quædam diffusa moles esse videretur, quæ ex pusillo ligni stipite prodijsset. Hac ergo ratione perspicuum esse reor sphæram ignis eximiæ magnitudinis esse.

Amplius ex Astrologorum rationibus, qui metiuntur, quantum Luna à nobis distet, quæ infima omnium syderum est, facile cuiuis compertum erit sphærã ignis maximam esse oportere. Amplius ex Cœli motu, & vertigine idem proculdubio persuaderi potest; nam motus disgregatione calorem facit, ac nimium calefaciendo ignem, vt sensus testatur.

Cum igitur Cœli vertigo fere pertingat etiam ad vniuersum aerem, qui est supra altissimos montes constitutus, nulli vtique dubium esse debet, quin maxima pars totius illius corporis circumacti motu rapidissimo disgregata accendatur, & ignis fiat, seu in natura ignis conseruetur. Elementum ergo ignis longe superat magnitudine alia elemẽta omnia. Adhęc ignis elementum

parti-

perticeps quodammodo est motus circularis, qui proprius est Cœlorum, de quo paulo latius à nobis est disserendum.

Sphæra ignis vniuersa circumagitur, motuque in circulum semper vertitur. Huiusce motus causa tamen non est natura, formaque huius elementi, neque hic motus vere circularis est, & simplex vt aliquibus videri potest: nam vnius corporis simplicis vnus tantum motus simplex naturalis est. Ignis corpus simplex esse constat, naturaque ferri à medio sursum versus, non ergo potest motu circulari moueri secundum naturam, neque etiam motu circulari simplici potest violenter moueri, nam motus violentus est naturali cōtrarius; motui autē circulari nullus motus simplex contrarius esse potest vni etenim vnum tantum contrarium est, & motui naturali qui est à medio sursum versus, quem diximus natura conuenire igni, cōtrarius est motus simplex rectus, qui est ad medium.

Motus igitur circularis simplex, neq; secundum naturam, neque contra naturam igni, alterique corpori simplici attribui potest, præterquam corpori cœlesti, cuius naturalis est motus. Igitur motus, quo circumagitur elementum ignis non est motus simplex

neque proprio nomine, & appellatione circularis appellari potest, sed vertiginis motus est quidam, & circulationis, seu circumactionis compositus ex pulsu, et tractu, quo fit vt eo motu tota ignis sphæra nõ moueatur vniformi, eademque velocitate, & passu, sed quædam ignei elementi partes velocius, nõnullæ lentius vertiginem illam consequantur, aliæ inuicem impingantur, & conglobentur, contra aliæ dissoluantur.

Quamuis autem minime cõcedamus motum hunc non simplicem, quo ignis circumagitur esse naturalem igni; quia corpus simplex natura motu simplici mouetur, non autem motu composito, non tamen motus is violentus est. Nihil etenim violentum potest perpetuo peseuerare, propria tamen vertigine elementũ ignis circumagitur. Erit igitur motus hic igni, neque contra naturam eius; neque secundum naturam eius, sed vt ita dicam est præter naturam (sed non medice loquendo) necnon etiam præter violentiam; causa vero efficiens huiusce motus nulli dubium, quin sit corpus cœleste circulariter motum.

Quo pacto autem Cœlum mouere queat ignis sphæram, cum simplicissimo circulari motu moueatur, neque vnquam magis vergat in quampiã partem

tem, quam in aliam, itemque habeat superficiem concauam leuissimam in qua nulla est ruga, nihil est quod emineat, aut intro recedat dubitare aliquis merito posset, verum si recte ostendamus & quæ loco naturali conueniunt nõ difficile erit nobis hanc quæstionem dissoluere.

Locus naturalis cum contineat locatum se habet ad corpus contentum, vt forma ad materiam, seu vt totum ad partem mirum ergo nulli esse debet, si nulla vi ex connexione tamen, quæ est inter ignem, & Cæli concauum, locum inquam naturalem ignis Cœlum in girũ moueãt igneum corpus sibi proximum.

Ab extrinseco igitur principio est hic motus, à Cœlo inquam) quod secum ducit ignẽ coniunctum. Possemus huic non ægre addere aliam causam, qualitatem scilicet illam, qua omnia elementa fouentur, & mixta corpora generantur, quæ cum è Cœlo fluat continenter ab eoque conseruetur, vt in lumine conspicimus nimirum incredibile nequaquam est si circumacto Cœlo, ac propterea circumacta hac qualitate ab ea ignis moueatur in girum, sicuti Magnes virtute sua trahit ferrum: hac etiã qualitate vt infra docebimus aliqui existimarunt in aqueo elemento, & Oceano fieri fluxum, & refluxum, cuius vi om-

nia elementa imitantur motum Cæ- circularem, præter naturam tamen quisque eorum, nec minus præter violentiam vllam, terram semper excipio, & eã elementorum portionẽ, quæ continetur intra terræ recessus. Nam terra, tũ quoniã gerit vicẽ cẽtri, quod in motu sphęrę est immobile, tũ etiã suo põdere, & cõstipatione motui cuiuis inepta est, si in proprio, naturaliq; loco perstiterit.

Sola ergo non fficitur motu Cœlorum terra cum illis, quæ intra eius recessum continentur, & intercipiuntur ab eius partibus, eminentissimis, summis scilicet montibus.

Motu hoc circulari difformi, & inæquali sphæra ignis circumãcta necesse est interdum partes eius inuicem conglobari, & constipari: qnod cum accidit confestim splendorem emittunt, & illustres fiunt, quod prius pro summa corporis raritate facere non põterant, sicque imitantur speciem flammæ. Verum cum corpus igneum natura tendat in suam raritatem; calorque constipatus resoluat; & rarefaciat rursus dissoluuntur partes illæ, ac flammæ species euanescit. Quin etiam motus, & vertigo Cœli, cuius vi constipatæ sunt, eas demum eadẽ vi dissoluit & rarefacit; accidit interdum tamen, vt exhalatio sicca à terra resoluta cum ad regionẽ ignis ascenderit sphęræ

motu

motu inflammetur, ignisque ab eius extremo ad finem vsque breui percurrat.

Hocque modo fiūt stellæ currentes: exprimitur etiā quandoque ex cōstipatione superioris aeris, seu vaporis frigidi exhalatio ea arida terrā versus, quę motu accensa speciē cadētis stellę nobis refert.

Verum cum in sphæra ignis facta fuerit ea cōstipatio partiū (vt oratio redeat vnde digressa est) quę tam magna, multaque sit, vt nō facile dissoluatur, exhalatioq; itē à terra resoluta fomentū illi pręstet tūc fit cometa, cęteraq; illius generis. Cometę duę sūt species, altera eorū, qua cōsistunt in parte huius elemēti ignei, de quo agimus inferiori. Hi cometę per se apparent nulli errantiū, fixarumue stellarū coniūcti, ac quāuis circulari motu moueātur, deficiūt tamē à motu Cœli, ssemperque retrocedere vidētur. Imo obseruauerūt aliquando Astrologi huius generis cometā, qui quouis vespere videbatur magis accessisse ad polū septentrionē versus, cuius rei causa in promptu est, vt reor ego, nā verissimile est, cū ignis sphęra circūagatur à Cœli vertigine, difformi tamē motu, inferiorem eius partē tardius moueri, quā superiorem, neque etiam mirum est, si à vertigine maxima æquinoctialis circuli, Cœlique medij propellantur eius partes, septentrionem versus, vbi vertigo est minor.

Altera autem cometarum species fit, si constipatio partium ignis illa, quam diximus facta fuerit in superiori parte elementi ignei, Cœloque propinquiori, vbi commode lumen cuiuspiam stellæ fixæ, errantisue in ea veluti in speculo, quod figuram quidem non referat, sed solum lumen reflectatur, qua flexione luminis radius in seipsum redeat, ac visibilis fiat. Tunc etenim videtur stellæ erranti seu immobili addita cauda, siue crinis adiunctus, quomodo fiunt cometæ alterius ordinis, consequiturque cometa motum stellæ, aut adeo parum deficit, vt sensu nisi post certum temporis spatium deprehendi non queat. Huiusce rei ratio illa est, quoniam constipata ea pars ignea sita est in suprema regione ignei elementi, quæ Cœlo propinqua omnes alias cognatas partes celeritate superat. Potest tamen interdum accidere, vt priori destituta, & resoluta alia pars stellam versus constipetur sicque nobis eamdem speciem referat, quamuis alia non autem eadem vere existat.

Eiusmodi modi existimauit Aristoteles esse viam lacteam, sed quoniam eius viæ species perpetua est, & immutabilis posteriores Peripatetici complures in eo loco Didascalū minime sequuti sunt: mirum namque, & incredibile visum

est

est eis consistentiam corporis ignei in via illa semper eodem modo perseuerare, neque in parte vlla vnquam immutari; ideo hi omnes deducti sunt in eam sententiam vt putarent Galaxiam accidens quoddam esse corporis æthereiob multitudinem innummerarum stellarum ibidem existẽtium quæ adeo sunt minutæ, vt earum corpora à nobis sigillatim perspici nequeant, simul tamen conspiciantur à nobis confusa earum lumina, quæ nobis referunt candorem illum.

Fortasse etiam dẽsiores ibi partes sũt Cœli, in quibus lumen earum stellarum refractum fulgeat vt in Lunam à Sole deductum lumen; Præterea ipsæ quoque Cœli partes densiores suapte natura splendidiores sunt, ideoq; non tantum fulgent alieno lumine, verum etiam per se splendent. Plura dicenda essent de cometis, alijsque nouis Phœnomenis, sed de his satis, ne egrediamur institutum à nobis opus de elementis.

His quæ hactenus diximus de elemẽto ignis, si hoc vnum additum fuerit satis hoc loco dictũ fuisse de igne vt elementum est vniuersum constituens videri poterit simplex scilicet, & purum huius elementi corpus inueniri tantum iuxta orbes ęthereos; nam qua parte aerem attingit in dubium verti nõ debet,

quin ignis impurus sit: sicuti etiam cætera omnia elementa impura sunt, vt infra dicemus, nisi fortasse ea pars terræ sit pura, quæ iuxta centrum sita in se compacta vim, actionemque elementorum aliorum non admittit.

Efficaci ratione cuiuis facile persuaderi potest, nam cum elementa vicissim aduersa, & contraria sint, naturaque contrarium omne agat in rem contrariam, quæ non magis ab eo distat, quam vt eo vis eius possit pertingere, vtique aer, qui maxime humidus est procul dubio sui humiditate afficiet proximum ignem, qui propterea grauior factus ad frigidiorem locum descendens magis, ac magis grauescens, cum grauioribus aeris partibus cum vapore mixtis in cētrum hoc delatus mixtarum rerum generationem facit, is namque, qui apud nos est ignis impurus existit, alienæque materiei immixtus, siue fumus accensus flammam effecerit, aut carbo, huiusmodique alia incensa fuerint, sed inferius longe plura de his.

Hoc ergo elementum igneum impurum est, qua pertinet ad aerem; contra vero, qua corpus cœleste attingit verissimile est purum, simplexque esse, nam ibi nihil contrarium igni est, quod ipsum afficere queat; immo in loco naturali

turali

turali est situs, & eo qui maxime aptus sit fouere igneum corpus tum lumine, & qualitate à se demissa tepore inquam æthereo, tum motu celerrimo, & vertigine rapidissima.

Quod si quæris an partes illæ ignis puræ perpetuo, & immortales perseuerent, aut si mortales sunt, quonam pacto corrumpantur, cum nullum ibi contrarium existat, à quo corrumpi queant, respondemus, quod vertigo illa, qua circumducitur ignis difformis est, ac propterea partes ignis fluctuant, ex quo fit vt deorsum pellantur partes ignis illæ etiam, quæ corpus æthereum contingunt, quæ tandem truduntur aerem versus, à quo affectæ descendunt, deorsumque ad terram feruntur, sicque corrumpuntur, & intereunt. Sed fortasse melius esset dicere, quod ignis etiá afficitur per propinquitatem à frigiditate Lunæ, & sic non solum per rationem supradictam, sed per hanc quoque nulla pars ignis elementaris pura reperiatur.

Hæc de ignis elemento, prout vniuersum constituit satis sint dicta.

De Aere.

Caput Tertium.

POST corpus igneum aeris elementum nobis occurrit, quod supra diximus non omnino leue esse, & leue, leue respectu aquæ, graue respectu ignis, sed magis graue, sed secũdum quid graue; nã aer in ignis sphæra descendit, in proprio etiam naturalique loco si impellatur pronius deorsum fertur, quam sursum.

Elementum hoc aeris positum, situmque est, inter ignem, aquam, & terram nulla sui parte, vt reor ego simplex, & purum, sed vel aliena qualitate affectũ, vel alienis corporibus immixtum; Regio namque ea aeris, quæ igni proxima est, ab igne semper afficitur, vicissimque ignem afficit, vt supra diximus, quamobrem siccior est iusto, itemque à Cœli vertigine digregata fortasse etiã iusto est rarior; & pars ea aeris, que terram, aquamque contingit, à frigidissimis elementis præter naturam afficitur eximia frigiditate adeo, vt frigidissima sentiatur (& hoc oritur vt dicimus, non quod aer sit natura frigidus sed per contactum elementorum frigidorum, & com-

commixionem materiarum etheroge-nearum)& noctù per frigiditatem à Luna communicatam, quam ignis sphæra temperat; sentitur autem aer frigidissimus vbi radij, solis incipiunt in immensum diffundi, nec sic in vnum coguntur, vt calorem efficiant.

Præterea cum syderum omnium Solique radij cogantur, & coeant in centro, reflectanturque à terræ spissitudine mirifice afficiunt aerem. Item cum vi radiorum, & teporis Cœlestis tum ex terra perpetuo resoluatur exhalatio quædam arida, tum ex aqua, & terræ locis vliginosis, & palustribus aqueus vapor, qui fere est aqua, vicissimque mixta hæc in aerem diffundantur, procul dubio continenter, & ex omni parte aliena hæc corpora immixta sunt aeri.

Quamobrem reor ego his rationibus satis efficaciter ostensum esse vniuersum aerem impurum esse, ac fortasse nullam eius partem superesse, quæ non sit alienis corporibus immixta, aut aliena qualitate affecta; idem sensus testatur; nam & ea, quæ in aere apparent vt Iris, Area, virgæ, & ea, quæ descendunt in terras, grandines, inquam, pruinæ, pluuiæ, rores, ventorum quoque impetus, nubes, tonitrua, fulmina, currentes stellæ sereno Cœlo certissima argumenta sunt magnę alienorũ corporũ copię aeri immixtorũ.

Sim-

Simplicem vero aerem si ratione, & mente dispiciamus, quandoquidem sensibus simplex offerri non potest corpus quoddam erit calidum, præcipueque humidum, igne densius, sed longe rarius aqua, & etiam vapore aqueo, quod neque ita efficax est in agendo sicut ignis, humiditate etenim calor obtunditur, neque ita obuium passioni, vt ignis, vt pote quod magis contineat de materia, & crassius sit, quam ignis.

Hoc è duobus elementis medijs prius est, quo ignis, aquæ, & terræ coniungitur; nam calidum est, & propterea igni cognatum; item humidum est, ac ideo cum aqua conuenit, nec non cum terra etiam quamdam habet affinitatem, quamuis terra arida sit, & aer humidus, quoniam humiditas magis est affinis frigiditati, quam calori, quem hebetat, qua de re ob humiditatem aer quodammodo conuenit cum terra quæ est frigida.

Huiusce corporis accidentia, quæ quotidie fere sese nobis offerunt paucis perstringemus. Horum quædam visuntur tantum, & apparent, nonnulla autem vere in aere consistunt, nullibi vero in aere cõstant, ac in eo efficiũtur. Prioris generis sunt Iris, Area, Soles gemini, ac terni interdũ, virgeq; omnium horũ vna quædã genere est causa, reflexio, in quã, radio-

radiorum Solis,ac interdum Lunæ,itẽque aliorum ſyderum inſigniorũ rarius tamen;nam cum circa Lunam, ac nonnunquam circa Solem quamuis id raro de Sole contingat conſtiterit caliginoſus aer exhalationi, vaporique immixtus adeoq; ex minutis corporibus compactus, vt ſingula efficiãtur eorum veluti ſpecula,quę colorem tantum ſyderis referant,circa quod ſunt,figuram vero nequeunt referre ob exiguitatem. Tunc circa id ſidus area conſpicitur, cuius figuræ ratio in Meteoris ab Ariſtotele ex propoſitionibus mathematicis eſt explicata. Quod ſi quando ita fuerit compactus aer exhalatione, vt interius valde opaca ſit,exterius vero diaphana, & leuis,adeoque ſimul coacta,vt non plura ſpecula efficiantur,ſed vnum tantum, nimirum ſpeculum illud & colorem, & figuram ſyderis referet:ea propter,inſpiciuntur quandoque plures Soles,gemini inquã,terniue,quod ſæpenumero habitũ fuiſſe in prodigijs hiſtorici referũt.

Nubes vero plena rore poſt imbrem plerumq;Soli obiecta Irim facit in ſemicirculi ſpeciẽ. Figurę ratio in Geometricis propoſitionibus fuſa oſtẽditur ab Ariſtotele in Meteoris. Virgæ ſunt veluti imperfectę Irides: hec,atq; huius generis, ſi qua alia sũt ſpeciẽ tantũ quãdam obijciũt oculis,nullibi tamẽ conſiſtunt.

Ea

Ea vero, quæ, præterquam quod nobis apparent cõſiſtunt etiam in ſuperiore aeris parte ſunt ſtellæ currentes, quæ tunc fiũt, cũ exhalatio ſicca vſtioni apta eò peruenit, & à vertigine incenditur.

Interdum quoque hæ currentes ſtellæ fiunt in parte aeris inferiore, cum exhalatio arida incluſa vapori frigido in inferiorẽ locum exprimitur, ob id quod vapor in ſuperiore ſui parte cõſtringitur ſicque intra ſe exprimit exhalationem, quam continet. Expreſſa hæc ſi vehementiori motu feratur ignem concipit, ſtellæque cadentis ſpeciem refert, at nube denſa, valdeque opaca, poſita ſecus lucidiorẽ nubem lumini peruiam imaginem quamdam nobis refert hiatus, & ſpecus, nam vt oſtendunt Perſpectiui, quanto quæque res longius ſita eſt tanto magis nigricat, & ad opacitatem tendit, etenim cum viſus deficere incipit, cuiuſque rei color videtur vergere ad opacitatem, & tenebras; quo fit vt viciſſim contra rem commeare opſis, & imaginatio iudicet, vt ſcilicet res, quarum ſpecies ſit nigrior, longius ſitę ſint, interiuſque recedant, quod Pictores imitati ludificant oculos ſpectantiũ hoc in picturis artificio vtentes à perſpectiuis mutuato.

Hiatus ergo ac foueæ quamuis non ſint in aere, vt viſus cẽſet, eſſe tamen videtur

detur propter eam quam diximus causam. Constat tamen in aere nubes opaca illa quæ speciem hiatus refert itaque stellæ currentes & hiatus hi quamuis sint attamen maxime cognata, sunt his, quæ supra diximus apparere tantum, & non consistere, quoniam non secundum eam speciem consistunt, quam referunt. Illa vero, quæ vere consistunt in aere, neque oculos eludũt sunt nubes, pluuiæ, grandines, rores, nix, pruina, fulmina, ventorum impetus, nonnullaque alia huiusce generis.

Horum omnium causa est duplex, exhalatio sicca altera, altera humida; prior e terra, posterior ab aqua, aqueisque locis resoluitur vi Solis, & Syderum quæ quamuis semper mixtæ inuicem sint, nihilominus absolute trahuntur ad genus illud, quod in eis magis fuerit abundans; vapor cum in superiorem aeris partem peruenerit interdum destitutus ab eo calore, à quo sursum tractus & vi fuerat rarefactus, iterum sensim concrescit, descenditque minutissimis guttulis coactus in rorem.

Interdum vero ab aeris frigiditate cogitur primo in nubem, deinde in aquã, coactisque inuicem minimis guttalis, iam maiores guttæ lactæ deferuntur in terram, pluuiamque efficiunt. Quod si fuerit adeo magna frigiditas in vnum ex

calor

calore aeris circumsistente, vt antequã aqua deorsum cadat in glaciem cõcrescat grandines fiunt. Sin vero ex nimia aeris frigiditate nõ in vnum coacta locum tantum, sed vbique per aerẽ sparsa, siccitatiq; frigori adiuncta vapor antequam cogatur in aquã inspissetur, & concrescat fiunt niues, & pruina, quæ inter se eam habent proportionem, quam rores ad pluuias, vt scilicet pruina rori nix pluuiæ respondeat.

In aere, hęc solent effici vapore, qui vi Solis semper, & syderum à terra, aquaq; resoluitur, rursusq; immutatus in ea quę dicta sunt defertur in terram, & aquam.

Quam vaporis circuitionẽ Homerus si Aristoteli credimus expressit fluuio illo Oceano, quẽ posuit terram circũfluere. Exhalatio vero sicca è terra resoluta, cũ occurrerit vaporibus, exhalationibusq; frigefactis, quæ deorsum ad terrã semper sensim feruntur eis immixta, cum neq; ab illis deprimi queat deorsũ, neque attollere sursum versus eos possit, vi persita, ex insito sibi contrario nixu in transuersũ fertur, inde euenit vt maximus fiat ventorum impetus, cum magna in aere extiterit, exhalationis, vaporũque, quos diximus copia: At lenes auræ excitãtur, cum minor huiusce generis rerũ vis, copiaque in aere fuerint.

Item si nubibus, vaporibusq; inclusæ fuerit

fuerit exhalatio hec arida, & in coactis superne nubibus detrusa fuerit terram versus fiunt ecnefiæ, venti inquam flantes è nubibus, & procellæ. Sin autem nõ satis in vnum coacta, sed dispersa per nubes eruperit accenditur, atq; efficit fulgura, & tonitrua. At in vnum constipata, vaporiq; frigido implicita, magnaque vi explosa fit fulmen, cuius non vnũ tantum genus est, vt in meteoris est ostensum.

Nobis hęc recensuisse sufficiat in enumeratione accidentium aeris, quatenus elementum quoddã est vniuersum cõstituens. Infra vero, cum de mixtione elementorum disseremus longe subtilius inuestigabimus causas accidentium horum omnium.

De Aqua.

Caput Quartum.

SEquitur Aerem aqua, de qua paucis ea quoque dicenda sunt à nobis, quę faciunt ad hanc tractationem. Aquę elementum infra aerem positum centrum versus licet nonnullam habeat leuitatẽ, quia terræ superstat, absolute tamen est graue ea propter ratione, qua supra diximus aerem absolute leuem esse.

Sed

Sed vt reor ego etiã aquã magis grauis est, quam aer leuis, quoniam aer in propria sphæra grauitatem illam habet, de qua supra meminimus, ex qua nonnihil demitur de eius leuitate, aqua vero maiorem habet in propria sphæra eam grauitatem, quam aer, quæ sicuti officit leuitati aeris ita videtur addere grauitatem aquæ; quamobrem iure vnusquisque pronuntiare potest aquam esse magis grauem, quam aer sit leuis.

Item aqua natura frigidissima est, & maxime humida; verum ratio cuiuis facile persuadet nullibi inueniri aquam puram, sicuti neque aerem purum. Nam ab aere semper aqua afficitur, magisque, & ad huc magis à terra, cui implicata est, & veluti in vnum cum terra globum compacta. Exhalationis itẽ vi syderum è terra resolutę aquæ immiscentur; ad hæc pluuiæ, venti, rores, huiusmodique generis cætera, quæ ab aere in mare decidunt, absque his quæ in ipso mari generantur & corrumpuntur proculdubio aquam inficiunt, ac vt ita dicam impurant.

His ego ducor vt reor aquam puram nullibi locorum esse. Rationi sensus cõsonat; etenim aquam omnem sapore quodam affectam esse gustu deprehendimus; at sapor omnis admixtione quadã terrestris partis cum humido aqueo effici-

efficitur, vt infra docebimus. Maria omnia salsa esse quis ambigat? lacus quidam, itemque fontes, & salsi, & amari e terra scatent; nonnulli saporem aluminis alij calcanthi, alij bituminis referunt, Adeo vt omnis aqua præsseferat naturam terræ, per quam fluit. Dulces quoque aquæ, quamuis intensiorem saporem non habeant vllum, occultum tamen ipse quoque procul dubio saporem, gratumque habent.

Ex his facile sibi quisq; persuadere potest aquam omnem impuram esse, ac nusquam locorum fortasse aquam purã inueniri, nisi forte quispiam velit minimas quasdam aquæ puræ particulas, ac per se insensibiles immixtas esse Mari, lacubus, ac fluminibus, cui neq; pertinaciter repugnare volumus neq; leuiter assentiri. Sint, aut esse possint dũmodo minime sint, & insensibiles existant.

Aquæ elementum verum, eiusque locum proprium Plato voluit Tartarũ esse intra viscera terræ situm, a quo veluti aquarum omnium fonte & maria, lacus, fontesque veluti per fistulas quasdam erumpant. Aegyptij, Caldeique forsitan idem sensere, adeo vt nonnulli Mosi etiam hanc sentẽtiam adscribunt, cum in Genesi diluuium factum temporibus Noe describens mẽtionem facit de magna abysso,

Contra

Contra Aristoteles sensit Maria esse aqueum elementum, ibidemque exi- stere aquæ locum natura debitum, fon- tiumque origines, & fluminum in aliam causam refert, cui ratio, & sensus ma- gis adstipulantur; nam si locus aquæ na turalis esset Tartarus intra viscera terr locus, seu potius iuxta centrũ situs, nimi rum secũdum naturã aqua esset grauio terra, quoniam locus aquæ naturalis e set infra terram iuxta centrum situs.

Non tamen diffitendum est intra ter ram hanc, quam colimus esse maxima specus aqua, & aere plenas, cuius re certissimum argumentum sunt terra motus, qui quandoque totas prouincia simul cum altissimis montibus quatiun vnde & terras subsidere, ac mergi insu las, alias emergere, & nascere è mari vi sum est.

Quemadmodum igitur negamus Ta tarum illum Platonis, sic concedimu intra terram esse aquarum copiam ma gnam in specubus ingẽtibus contẽtam sub quibus deinde Terra est in se stipat ad centrum vsque, in quo natura quie scit. Præterea terræ quam incolimu magna aquæ copia est immixta, ex qu fit, vt terra plantis omnibus, & anima libus quibuscunque pabulum, nutrimẽ tumque præbeat. Si etiam terram fo deris nisi solum sit admodum aridum

ac

ac sterile continuo in foueam, quam fecerís confluent aquæ, quæ primo terræ immixtæ quiescebant, deinde in inferiorem locum defluunt.

Quin immo nonnullis in locis, quantumcunque aquę copiam è puteo, quem foderis exhaurias, confestim tantundem è terra circumfluens aquæ copiam resarcit. Nec non aeri terræ proximo magna vis aquæ est immixta vtpote, qui plenus est vaporibus. Vapor autem nihil aliud est quam aquæ disgregatio, seu potius aqua rarefacta, quapropter vt supra adnotauimus Homerus cecinit fluuium quemdam Oceanum vniuersam Terram circumfluere.

Hæc aquæ copia terræ, aerique immixta dulcis est in morem fluminum, non salsa. Ideo Philo vir doctissimus in libello, quem composuit de factione Mundi inquit Mosem in Genesi, cum ait in medio Paradisi esse fontem, ex quo emanant flumina, quæ irrigant vniuersam faciem Terræ nihil aliud innuisse, præterquam hanc dulcium aquarum copiam, quæ & alia est à Mari salso, quod Deus à Terra disiunxerat, & Terræ vniuersæ est immixta, & è fontibus defluens in flumina irrigat vniuersam faciem Terræ, ac Terram efficit aptam mixtioni, ac propterea generationi mixtorum omnium valde

commodum, & ferendo pabulo animalium, plantarumque idoneam.

Marium omnium Oceanus, qui extra columnas Herculeas diffunditur, terramque ambit longe maximus est; post eum est Mare Mediterraneum intra terras receptum, quod per fretum Herculeum cum Oceano coniungitur: horum vtrumque magnos efficit sinus, qua terra recedens curuatur, & mari aditum præstat: Caspium vnum mare videtur omni ex parte terra circumcludi. Nonnulli tamen probatissimi auctores Geographi hoc quoque mare sinum quemdam Oceani fecere, quod Aristoteles etiam in opusculo de Mundo ad Alexādrum sentire videtur, in Meteoris tamen secus dicit. Horum marium nomina, situs, magnitudines cæteraque huius generis scrutari potius pertinet ad Cosmographiam, seu Chorographiam, quam ad hoc à nobis institutum opus de Elemētis: sic de fluminibus, ac de lacubus tractatio alterius operis est.

De Marium Motibus.

Caput Quintum.

Illud huic nostro negotio videtur reliquū esse, vt pauca quædā perstringamus

gamus de motibus, qui in mari esse deprehendũtur; nam flumina quis nesciat è superiori loco secundum naturã defluere in inferiorem? In mari Oceano, quod extra columnas Herculeas late est fusum, ambitque vniuersam terram continentem duo visuntur motus, quorum alter nõ est admodum conspicuus proculdubio, tamen dignoscitur in eo mari esse; Aqua in Oceano mouetur cõtinenti, & perpetuo lapsu ab Oriente in Occidens; motũ hunc nautæ qui Oceanum nauigant certissime deprehendũt; nã si soluerint à Nerito Hispaniæ promontorio, & vela fecerint Britanniam versus ad orientem Solem longe tardius procedunt, quam si ex Britannia nauigauerint in Hispaniam ad occidentem Solem, quod asserunt accidere ob aquarum cursum ad Occidentem Solem.

Illi quoque qui ab Hispania nauigant ad eas insulas, terramque continentem, quas Columbus Genuẽsis inuenit ad occidentem Solem xxiiii. diebus circiter iter perficiunt; quod si inde reuerti in Hispaniam velint ob aquarum nixum in contrariam partem tribus totis mensibus, quatuorue vix perficiunt institutum iter. Idem animaduertunt quotannis Lusitani, qui circumflectentes Aphricæ oram, promontoriumque, cui bonę spei nomen indiderunt tendunt in

Indiam ad Orientem Solem; audiui ego ab ijs ni secundos ventos vehementius spirantes habeant superare se non posse promontorium illud, ac rectà in Indiam tendere ob maris motum Occasum versus. Vnus hic est Oceani motus.

Alter quotidiani æstus, quo sex horis retrocedit, & deprimitur: hic æstus adeo magnus est in Oceano, vt qui ipsi non inspexerint ęgre credant alijs narrantibus. In Belgica, quæ nunc Flandria nuncupatur flumina crescente maris æstu retrofluunt, eorumque refluxus percipitur in locis etiam valde à Mari distantibus. In Britannia peregrini vident Tamisim fluuium ingentem Londini, quod à mari distat quinquaginta fere millibus passuum sursum ad fontem refluere cursu præcipiti, sexque horarum spatio intumescere tribus fere passibus. Tam magnus est impetus æstuantis maris, quod actum, & pulsum in æstus ad terras diffunditur.

In Mari Oceano duo hi deprehēduntur aquæ motus. In mari mediterraneo item duo visuntur motus; nam & æstus conspicitur immutari singulis quibusque sex horis, quod Venetijs quotidie conspicitur, multisque alijs in locis maris accolæ idem experiuntur. Verum in hoc mari mediterraneo hic æstus exiguus est, si Oceani æstui confera-

feratur, ita tamen certus est sicut illæ. Attamen non vbique locorum comprehenditur hic æstus in pelago mediterraneo. Nam Tyrreni maris accolæ, Ligures, Galli qui prouinciam Narbonensem Galliam incolunt, ora Hispaniæ, quæ hoc mari alluitur nullum prorsus sentiunt æstum. Id diligentissime quæsiui; ab incolis Barchinonæ, nec non cum essem Massiliæ diligenter percontatus sum Galliæ Narbonensis incolas, qui omnes constantissime asserebant illis in locis nullum percipi maris æstum.

Præter hunc æstum in mari mediterraneo alium motum obseruamus; nam in sinu Adriatico si quis legerit oram Dalmatiæ, Histrię, Illiricique totius, sentiet maris motum perpetuum esse versus occidentē Solē, ac deinde in intimo recessu vbi Venetiæ sũt sitæ flecti ad Meridiem versus Flaminiā, indeq; flecti Apuliam versus ad orientem Solem.

Is maris motus iuxta littora à solertibus nautis vbique fere deprehēditur in mari hoc mediterraneo, quo videri potest mare hoc in girum moueri; nam ab Helesponto occidentem versus flectitur, ac perpetuo eius cursus tenore circuit vniuersam oram continentis ad columnas vsque Herculeas; inde vero per oras Aphricæ, Aegypti, Syriæ flectitur ad Solis ortum.

Horum motuū eas causas afferemus, quæ nobis prius videbantur magis verisimiles esse. Vno in loco fatebimur ingenue nullam ad hanc diem causam verisimilem deprehendi à Philosophis potuisse, nisi a nobis, ideoque perspicaciores excitabimus, & nunc dubitasse sat erit. Veriores, immo verissimas rationes citra Philosophorum placita, & hominum opinionem in lucem dabimus, cum de Maris examine disseremus, nec mirum tibi videatur lector, quod verissimas horum motuum causas citra Philosophorum placita inuenerimus, quandoquidem contra Neotericos omnes dari sphæram ignis in concauo Lunari sustentabimus; & quandocūque opus fuerit veritate armatus in arenam descendam.

Horum Maris Motuum causas, & rationes à nobis inuentas, sed non omnes aliquas tantum aliquando inter amicos explanare incæpi, sed cum mihi relatum esset horum vnum velle has rationes Typis mandare, tacui cæteras, & hoc expecto, quo facto omnia pandam, & mare vndique examinatum in lucem dabo, materiam etenim apud me omnem habeo huic negocio necessariam nemini communicatam.

Eius motus qui in Oceano conspicitur perpetuus esse ad occidentem Solem

nullam

nullam aliã esse posse causam existimatur præter motum diurnum Cœlorum, cuius vi sphæra etiã ignis, aerisue bona pars circumducitur, fieri etenim non potest, vt naturali aqua hoc motu moueatur, nam vnius corporis simplicis vnus tantum motus est simplex secundum naturam. Motus hic ergo à motore extrinseco est, nullum autem conspicimus corpus, quod aquam contingat, & vi circumducat: illud ergo restat vt moueatur Oceanus hoc motu vi qualitatis in eum defluentis ab extrinseco quopiam corpore.

Hanc autem verisimile videtur nullã aliam posse esse præter cœlestem illam qualitatem defluentem in omnia elementa, de qua statim in exordio huius opusculi fecimus mentionem, quæ in modum luminis dependet, conseruaturque à Cœlo, ideoque circumuoluto celesti corpore ipsa quoque circumuoluitur, secumque ignis spheram, aerisque magnam partem in Oceanum circumducit, quamuis etiam, vt supradixi ignis, continuusque illi aer, quoniam Cœlum contingit à Cœlo queat ipso moueri, & circumuolui Hanc pro nunc dicere possumus (etiamsi non sit) causam esse illius motus perpetui maris Occidentem versus.

Eamdem etiam pro nunc dicere pos-

sumus causam esse eius motus, qui in mari mediterraneo deprehēditur iuxta terrarum oras quas alluit, quo vt paulo ante diximus versus petum Gaditanum per littora Europæ mouetur, rursusque redit versus Orientem per oras Aphricæ, atque Asiæ; nam quoniam conclusum intra has terras Mare perpetuo tenore moueri nō potest ab Oriente in Occasum, obstant etenim littora continentis, eo modo quo potest imitatur motum circularem, ideoque in girum voluitur, & littora vniuersa lustrat. Sed vt dixi veræ non sunt hæ rationes, sed nunc istas anteponimus. Cum de tempestatibus, nausea, aquæ salsedine, verba faciemus huius circulationis, fluxus, refluxusue in Maris examine veras causas in lucem dabimus. Nūc istę quales sunt tamquam veræ transeāt, Alter motus reliquus est, quem maris æstum nuncupamus, quique in pluribus locis, & præcipue Venetijs experitur quotidie, vt ego optime vidi: in Oceano vero mari est maximus. Hunc Maris motum, vt ex æstus nomine atque ethymologia antiquiores sensisse credibile est nil aliud esse posset dici præterquam rarefactionem quamdam, & tumefactionem Maris.

Ob eam causam crescente æstu mare vndiq. terra petit, & circumquaque supra

pra littus effunditur rursus decrescente æstu intra se cogitur, & vndiq. à Terra recedit, quod fieri condensatione quadam aliquando putabamus.

Hoc ita se habere sensu fere percipi facile potest, etenim nullus quamuis fingere vellet proferre posset, vnde tam repente adeo magna aquæ aduentitiæ copia erumperet in Mare, ex qua mare tumesceret, aut rursus quonam se reciperet decrescente æstu, cum Mare se contrahit. Hoc ergo pro nunc constituto æstum scilicet Maris nihil aliud esse, nisi tumefactionem, vicissimque constipationem aquei eleméti, restat, vt inuestigemus, à quonam fit vicissim huiusmodi rarefactio, & condensatio.

Nullus sanæ mentis in dubiũ vertere potest, quin rarefactio, tumefactioq. omnis fiat vi caloris, quo deficiente cesset vicissimq. efficiatur constipatio vi frigiditatis, seu insitæ, seu aduentitiæ. Id nobis quotidie intueri licet, in ahæno feruenti ad ignem, rursusq. residente, imminuto, ablatoue igne; igitur vi cuiusdam caloris fiunt maris æstus Nos nunc dicemus vim hanc caloris, quo mare tumescit pédere à Luna, cuius tepor (vt aiũt) videtur humori accõmodatus pręcipue esse, & cuiuscumq. rei humoré afficere.

Si ergo Cœlũ diuiserimus in quatuor partes ęquales duobus maximis circulis

 Meri-

Meridiano scilicet, & Orizonte recto, qui polis secet Meridianum ad angulos rectos sphęrales, in æquinoctiali autem circulo secet Orizontem obliquum cuiusuis regionis; nam æstus maris non fiunt vbique locorum eodem temporis momento, sed pro modo meridiani circuli & illius recti Orizontis, de quo meminimus cuiusque regionis.

Ita igitur secto Cœlo cum Luna è puncto Orizontis recti, quem constituimus ad Meridianum mouetur supra Orizontem tumescit aqua, & diffunditur. Cum autem à Meridiano tendit ad alteram, aduersamque partem Orizontes recti ad Occasum, refluit Mare, aquaque decrescit. Rursus cum ab eo Orizontis recti puncto quod est in Occasu mouetur infra terram sub pedibus ad oppositam Meridiani partem, punctum inquam noctis mediæ, iterum tumescit aqua, æstusque crescit. A puncto rursus mediæ noctis recedente Luna ad punctum Orizontis recti in Oriēte situm à quo moueri cœperat, refluit aqua, æstusque imminuitur. Hoc semper fere modo deprehēdes aquam moueri si attente animaduerteris, sequique Lunæ periodos nisi quando Solis motus obstiterit, vt paulo post dicam. Vi ergo tēporis Lunæ accommodati aqueis omnibus fieri maris æstus nunc cum

alijs

alijs Philosophis dicimus.

Quo vero pacto id fiat perscrutandũ restat. Non admodum arduum est causam inuenire cur mota Luna ac ascendente in Meridiem aqua tumescat rursumque decrescat Luna descendente à Meridie in Occasum; nam lumen, teporque ille cœlestis à Luna diffluens luminis comes quanto magis accesserit ad lineam perpendicularem & ad angulos rectos tanto maiorem vim habet, & magis calefacit. Contra vero, cum à perpendiculari linea, & ab angulo recto recesserit tanto minoris est vis. Hoc in Solis radijs, experimur, & apud perspectiuos compertissimum est.

Ob hanc causam ascendente Luna ab Oriente in Meridiem, accendenteque eius lumine ab obtuso ad angulum rectiorem aqua tumescit, recedente autem à meridie occasum versus ab angulo recto ad obtusum defluit, & decrescit. At reddere causam, cur accedente Luna ab occasu ad noctis mediũ aqua tumescat, rursum decrescat recedente Luna à noctis medio Orientem versus infra Orizontem, id vero difficillimum est.

Mihi hac in re valde obscura pro nũc satis erit si referam, quæ legi apud probatos auctores. Lectores iudicabunt rectè ne, an perperam dicantur. Non-

nulli dicunt partem Cœli oppositam radijs Lunaribus ab eis affici, & mutuare eamdem prope vim, quam ipsi habeant; ideoque cum Occidente Luna pars Cœli opposita oriatur, & feratur ab Oriente ad Meridianum circulum, aquam tumescere quasi per reflexionem quamdam Lunaris luminis ab ea Cœli parte centrum versus. Sic recedente Luna à medio noctis puncto in circulo Meridiano infra Orizontem partem Cœli oppositam moueri à puncto Meridiei Occidentem versus; idcirco aquam decrescere.

Quamobrem tunc etiam Maris æstus à Luna pendet non tamen quatenus fertur sub Orizontis circulo, sed quatenus eius lumen reflectitur à parte Cœli Lunæ opposita terram, mareque versus.

Contra hanc, quam adduximus caussam ambigere quispiam merito posset, quoniam cum Luna longe sit minor, quam terra, vmbra terræ prodiens à radijs, & lumine Lunæ, quanto magis à terra recesserit, tanto etiam magis crescit, neque vnquam minui potest, quo fiat, vt Lunæ radij nunquam pertinere queant partem Cœli Lunæ oppositam: ideoque ab ea parte reflecti non possunt terram mareque versus.

Obiectioni huic nonnulli respondent, in-

inquiũtque cum terra: Si Cœlo cõferatur, obtineat vicem puncti eius vmbra quãuis magna exiguã ad modum Cœli partem offuscare potest, ac propterea à propinquis partibus fieri reflexionem, quã diximus. Lumen etenim ad omne punctũ deffunditur. Illud quoque attẽte considerandũ est. Cum Cæleste corpus diaphanũ sit, & perspicuum, ægre ab eo lumen reflecti posse.

Præterea mirũ est, cur non oculis dispiciamus in obscurissimis noctibus, vel exiguam quandam imaginem reflexionis huius. Qua de re dicere cogemur, nõ lumen, sed aliam quamdam qualitatem reflecti, cuius vi fiat maris æstus.

Nobis hac in parte satis fuerit nunc dubitasse, cum ad hanc diem nullam causam inuenerimus, neque acceperimus ab alijs proditam, quæ animum nostrum impleat. Illud etiam ad hanc diem Philosophi ignorant, cur scilicet in mari Tyrrheno, neque apud Ligures, neque apud Gallos Narbonensis prouinciæ incolas, atquè apud Barchinonem in Celtiberia, vt alios omittã, nullus vnquã maris æstus sentiatur: cũ tam ẽ & in mari Oceano maximi fiãt æstus, & in nõnullis locis maris Mediteranei, vt in sinu Adriatico euidentes sunt.

Verum vt negotium totum hoc de maris æstu expediamus duo recensenda

restant

restat quæ digna notatu esse sciam: Aestum maris pendere secundum aliquam partem à Luna omnibus propemodum compertum est. Cæterũ nonnihil etiam sol facit ad concitandum maris hunc æstum: quod singulis quibusque mensibus obseruamus in quadratis Lunæ. Nã cum post plenilunium nonaginta gradibus ad Solem Luna accesserit: necesse est eodem temporis vestigio Lunam ab Orientis puncto in Orizonte eo recto, quem constituimus, ascendere ad Meridianum, Solemque à puncto mediæ noctis versus Orientem descendere, vt ita dicam, sicque deinceps eadem prope ratione post Lunæ coitum, cum Luna ab eodem Orientis puncto ascendit ad meridianum circulum, Sol à Meridiano descendit versus Occasum. Quo tempore bis inquam singulis mensibus exploratum Venetijs omnibus est, vel nullos fieri æstus, vel incertos quosdam.

Ex quo facile quiuis conijcere potest Solem etiam nonnihil operari ad concitandum, & sedandum maris æstum. Aliud scitu dignum reor esse, æstum maris incipere ab eius fundo, & subinde ferri versus superficiem. Hanc rem facili ego coniectura deprehẽdi ex nautis, & ij qui obseruant Ostium portus Veneti vbi ædificatæ sunt duæ Turres illa, quas duo Castella vocant. Obser-

uant

dant ij quotidie, cum æstu mare intumescit, influitq; per illud ostium in Veneta æstuaria post sex circiter horas adhuc aqua maris in dicta æstuaria influẽte, qui motus est crescentis æstus, aquã tamen iuxta turrium muros demitti, ac iam per semipedem fere, aut paulo minus aquam decreuisse, antequam incipiat refluere, ac in mare ex æstuarijs retrocedere.

Cum ergo simul decrescat, & superior maris pars oculis subiecta influat, nulli dubium esse potest, quin principium recessus, & constipationis aquæ sit in fundo. Hactenus pro nunc dixisse nobis sufficiat de elemento aquæ. Cum de mare eiusque mirabilibus sermonem faciemus omnia explanabimus. Nam cur aqua semper ex Bosphoro, & Hellesponto defluat, nunquam refluat, omnes sciunt fieri ex copia fluuiorum, qui in pontum influunt. Nunc ad terram postremam omnium descendamus.

De Terra.

Caput Sextum.

TErra infimo mundi loco in centro in quam sita grauissima est, in qua nul-

nullũ sit leuitatis vestigium. Sic quoq. est, & frigida, maximeque omnium constipata, & densa. Sicuti enim raritas ignis maxima est omnium, ita terre densitas est summa. Item natura est neq. lucida, neque diaphana, sed maxime omnium opaca, & imperuia lumini, nec non maxime omnium est inepta ad motum, lationemque omnem. Vnde semper immobilis perseuerat.

Terram puram, neque aliena qualitate affectam, neque immixtam alienis corporibus inueniri posse iuxta mundi centrum, sicuti ignem purum iuxta Cœli concauum facile nobis persuadere possumus. Nam cum pars ea terrea nullum corpus contrarium attingat, a quo affici queat, cuique possit immisceri, & ibi maxime sit constipata, & imperuia, non est mirum si diuturno tempore ibidem pura, & intacta perseuerat. Semper enim rem corruptibilem immortalem perseuerare impossibile est.

Propterea credendum est maxima vi terræ motuum huiusque generis accidentium, vt omittam Cœlestes radios, & vim cœlestis qualitatis interdum fieri, vt alieni corporis vis ad centrum vsque perducatur, a qua partes illæ afficiantur; affectæque, & e loco moueantur alijs succedentibus, & demum

mum

mum corrumpantur: verum post ingentia temporum interualla hęc fieri censendum est.

Terra igitur iuxta centrum constipata pura est, ideoque proportione quadam respondet igni, grauissimum scilicet leuissimo. Supra has Terræ partes, quæ centro propinquæ sunt, quicquid reliquum est terræ, plurimum aquæ admixtum habet, nonnihilq. aeris. Nam, & maria intra terræ oras continentur; & sub terra maxime sunt specus longe lateque diffusæ, aqua, & aere plenæ, adeo, vt maxima terræ pars supra aquas emineat: quod ab optimo sapientissimoque rerum omnium opifice factũ esse iure quilibet existimare potest ob salutem animalium omnium perfectorum, quæ ob spirandi necessitatem, naturæque eorum qualitatem neque viuere, neq. ali neq. generari, possent.

Etenim quamuis si per se naturam spectes elementorum grauium, & leuium: terra omnis vndique aquis obruta, circumfusaque esse deberet: sicuti omni ex parte aer aquas ambit, aeremque ignis, itemque igneum elæmentum corpus ęthæreum.

Nihilominus ratione finis ad conseruationem scilicet animalium perfectorum factum est a natura, præter horum corporum nixum vt terræ hæc

super-

superficies emineat. quemadmodum in paruo mundo animali in quam multa consistunt præter naturam materiæ ratione finis. Vt sinciput os durissimum, & maxime terreum, ac propterea graue positum in suprema parte hominis.

Cæterum præter hanc rationem à fine sumptam alia etiam, vt reor, non incommode adduci potest. Etenim cum Solis, Lunæ, cæterorumq; omnium Syderum radij, quin potius vniuersi Cœli lumina in vnum cogantur in hoc mũdi centro; vbi terram, aqua attingit: nimirum necessum est vi caloris syderũ fieri quandam Terræ, & aqua mixtionem, ac quadam Terrei elementi fermentatione exteriorem hanc terræ partem rarescere; & intumescere.

Quin omnis ratio colendorum agrorum adhoc præcipuè spectat, vt arationibus, stercorationibus, pastinationibusque terram fermentet, raramq; efficiat, ac peruiam aeri, aquæ, radijs, solaribus alijsq; huiusmodi, vt horum omnium mixtione, & opera ali generarique valeant fruges, & plantæ. Igitur vi caloris Syderum tumefacta terra aquæ immixta, aqueoq; humore, & terreis partibus in vapores, & exhalationes resolutis impulsa est vndique superficies terræ in exteriorem partem adeo, vt in plurimis locis aquæ emineat, & ingentes specus

cus intra se habeat aqua, & aere plenas.

Itaque rationi finis accommodata fuit natura, & situs caussarum agentium. quod semper natura sagacissime facit. Nullus namque mihi persuaserit quorundam sententiam, qui aquæ, marisq. superficiem esse terra eminentiorem, vique quadam diuina contineri aquas, ne terras vndique obruant. Nam & suadet ratio, nihil violentum posse esse perpetuum, & sensus testatur: cum vndique flumina defluant in mare, proculdubio mare depressius esse superficie hac terræ, quam colimus.

His ergo de caussis terra mari eminet. & si alia quadã ratione dici posset aquã circumquaq. terram ambire. Nam cum aer hic, quem colimus omni ex parte semper innumeris vaporibus plenus sit, vapor vero sit aquæ disgregatio, nimirũ hoc pacto hæc quoque terræ superficies, quam Maria non tegunt, ambitur aquis, idest vaporibus: qui sunt aqua disgregata, & rarior effecta.

Sed vt verum fatear nè miraculum à Deo factum in creatione Mundi corruat dum imperauit dicendo. Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum vnum, & appareat Arida, dicendum est, quod vi quadam Diuina continentur aquæ nè terras vndique obruant non quod aquæ eminentiores sint terra, vt pro-

propria natura esse deberent, sed quod, dum Diuina voluntate apparuit Arida, (vt Moses in Genesi testatur) globos, & vincula quædam inuicem conglobauit Deus, quibus terra in se stipata consistit ad centrum vsque cum specubus ingentibus aqua & aere plenis.

Exterior vero pars terrę vi Solis, & Syderũ rarefacta immixta aquæ pabulum animantibus vniuersis elargitur. Quod si aliquis obijceret nobis dicendo, quod nullum violentum sit durabile, ideoque Terra hoc modo cõsistere nequit, daremus enim partes ęternas, & immortales in Terra, quod est absurdum, respondemus omnes Terræ partes ad centrum vsque, sed ingentia post sæcula, immutari, & corrumpi, sed hoc fieri citra disruptionem vinculorũ terræ, quæ diximus.

Itaque Terra vi quadam Diuina hoc modo consistit per vincula quædã, scilicet vastissimos montes, quorum partes etiam si immutentur, & corrumpantur tamen id fit citra disruptionem connexionis, quam diximus sicuti nutritio, & auctio fit in homine citra disruptionem membri alicuius hominis.

Quod si vincula hæc Terræ Diuino nutu disrumperentur (quod Deus auertat) natura Terra vndique obruta esse aquis deberet.

Con-

Concludamus ergo dicēdo quod terræ partes aliquæ ratione finis, scilicet ad conseruanda animantia, eminētiores sint aquis; sapientissimus enim Mundi opifex ita vincula inuicem vniuit, & colligauit vt etiā si ingentia post sæcula terræ partes immutentur, & corrumpantur, id tamen fit citra disruptionē vt diximus; hocque modo infinitæ Deo referendæ sunt gratiæ, quod Terra hoc modo mari emineat.

Ex hoc facile etiam diluere valemus aliam quæstionem, cùm enim ea debeat esse inter elemēta proportio, vt æqualia sint secundum materiam, aquaque sit longe rarior terra, vtique elementum aqueum longe maius debet esse terra. Attamen cum nostris temporibus ex Hispanorum nauigationibus cōpertum sit vndequaque à terra Oceanum ambiri, liquido apparet terram non esse aqua minorem in ea, quam diximus proportione: sed fortasse maiorem; quo fit vt recte dixerimus in mari minimè contineri omnem aquarum copiam: Sed infra terram in maximis illis specubus maximam vim aqua contineri. Item vniuersam hanc quam incolimus terram, quæ tot fontibus, tot fluminibus rigatur, quæ vbique vestitur herbis, & plantis, aqua plenam esse veluti spongiam quandā.

Præ-

Præterea vniuersus hic aer plenus vaporibus est: vnde Homerus cecinit, vt his superius diximus, fluuium Oceanum vndique terram circumfluere, propterea facile nobis persuadere possumus, si omnis hec aque copia in vnum colligeretur, aqua longe maiorem terra futuram esse, pulchreque seruari eam proportionem inter hæc duo elementa, qua mundus perdurare queat. Terra hæc omnis, quæ diuina prouidentia in hoc centro super aquas eminet est instar animalis constituta, vt mater omnium mixtorum, ac præcipue viuentiũ esse queat. Nam & dulci aqua plena est, vt animal sanguine, qui vt per venas deductus totum corpus alit, ita aqueus humor per fontes per flumina terræque fistulas, ac meatus minimos vniuersam hanc terram rigat, & alit.

Et quemadmodum animalis corpus vbique fouetur spiritu, sic hec terra plurimum intra se continet ęthærei vaporis, & igneę exhalationis, quibus immixta, & generare, & nutrimentum præstare omnibus potest. Aer quippe sponte subit meatus terræ, cum ei aditus patet. Nam vt supra ostendimus aer facile trahitur inferius, natura enim pronior est ad grauitatem, quam ad leuitatem Itemque ignea pars vapori immixta deorsum in terra fertur.

Nec

Nec non vi Solis, & Syderum e terra generatur ignea exalatio Quinetiam in subterraneis specubus flantes venti vehementiori motu accenduntur, flammasque concipiunt, quæ à pluribus terræ locis erumpunt, vt ex Aetna Siciliæ monte, & ex Insulis Aeolijs. Hinc fontes calidi scaturiunt e terra, quorum aqua iter facit per loca ignita, terramq. sulphuream. Habet etiam vniuersa hæc terra habitabilis ossa sua inuicem animalis, quibus sustentata non facile dehiscit. Montes scilicet fere continuos, qui vt arbitror, mira quaeam naturæ prouidentia, & arte effecti sunt, tum vt sustentent terram, tum vt ex eis profluant flumina, quæ maximam vtilitatem præstant omnibus, quæ ex terra orjuntur, & aluntur, vsibusque humamanis plurimum inseruiunt.

Causas vero, & materiam, ex quibus montes constituti sunt non quæramus longius. Etenim fingamus vel nūc primum ortum esse inferiorem hunc mundum, vel illius partem aliquam. Nam quamuis Peripateticorum sententia mundus perpetuus est: eius tamen partes vicissim oriuntur, & occidunt.

Eleuetur ergo ea, quam diximus, ratione vi syderum caloris que concepti pars terræ aliqna, seu tota hæc terra habitabilis, ex aquisque prodeat, nulli

dubium

dubium esse debet, quin æqua superficie tota prodeat: etenim conformis hęc species cœlestibus conuenit tum terrestribus, in quibus nullum est priuationis, & multitudinis. In superficie ergo inæquali nonnullæ partes depressiores erunt, aliæ eminentiores: quod ita esse experientia deprehendant, qui terram peruagantur. Nam præter valles, & Colles, accliuia, & decliuia sola vnaquæque continens terra inter duo maria sita medio sui plurimum assurgit, sensim vero vtrinque versus Maria dęmittitur.

Hoc animaduertitur ita esse, & in Germania, & in Hispania. Nam Venetijs profecti cum à mari Adriatico iter faciunt in Germaniam, vtiq; sensu percipiunt ex modo itinerum vsq. ad eam planitiem in qua sita est Augusta, Vindelicorum terram accliuem esse, inde profecti Belgicam versus animaduertunt sensim terram demitti, humilioremque fieri ad Oceanum vsque. Idem obseruatur in Hispania, cum ex Toleto Ciuitate in medio continentis illius sita Venetias redeunt Nam depręhendunt in medio continentem illam eminentiorem esse, quam campi sint Cathelaunici, & Barchinon Ciuitas.

Cum ergo ita se res habeat, illæ terræ partes, quæ alijs eminentiores prodiere,

diere, aqua vdæ, ac intra se concipientes terrestris exhalationis copiam vi caloris concoctæ tandem actione, ac vi frigidi aeris concrescunt in lapidem, & saxa, vt nunc omittam cœlestem vim, quæ prima effectrix est omnium mixtorum corporum, commodeque dici posset esse similis caloris animæ nutritiuæ, qui sibi partem conuertit in ossa, partem in carnem, in neruos, cartilaginemque partem: vt ex omnibus suis partibus integrum animal constet.

Huius ergo generis causæ sunt montium effectrices qui paulatim minuuntur vi imbrium, & ventorum, vicissimque appositione materiæ, quæ apta est in saxa conuerti augentur, vt in lapidicinis compluribus est obseruatum. Nam, & in fontibus, lacubusque nonnullis, & incertis terræ locis cõperimus hanc vim esse ad generandos lapides.

Hactenus de montibus. Verum sicuti vi caloris terra fermentatur, montesque, & Insulæ oriuntur impulsu eiusdem impetus, sic contra aliquibus in locis terra concussa disrumpitur, ac repente prouinciæ interdum non exiguæ, vrbesque cum populis demerguntur. De Atalanta Insula vastæ magnitudinis refert Plato in Critia, quod concussa maximo terræmotu obruta est, ac forsan mari Atlantico nomen dedit.

Insulas quoque nonnullas subito e mari natas prodijsse proditum est, contraque vicissim alias summersas.

Quam ob causam nihil perpetuum in terra perseuerat, sed omnia commutantur, vt omittam diluuia, conflagrationesque prouinciarum, seu vi imbrium, ignisue ex oris supernis demissi ob quempiam tumultum, vt vim in eis regionibus ignem deorsum impellentis, seu etiam igne e terra prodeunte, aut aquarum copia impetu quodam e mari delata in terram, siue fluminibus crescentibus obstrusis eorum ostijs: aut terra disrupta aquam eructante. Sicuti aliquando apud Valentiam accidit in Hispania. Nam improuisa quadã & occulta vi sereno Cœlo confestim nullis sentiẽtibus maxima aquarum copia, quæ ingentes fluuios superaret e continenti delata eam vrbem versus, nisi clausis portis, & obicibus oppositis iter in mare diuertisset, magnam ciuitati illi calamitatem intulisset. Nullusque vnquam compræhendere valuit, vnde nam tam magna aquarum vis eruperit.

Nos credimus alijque plurimi rerum naturæ periti eam aquarum vim erupisse e quodã subterraneo specu terra dehiscente, ac confestim post eam vim, qua & terra hiatum fecit, & aqua erupit

pit iterum restituta in eandem speciem. Hæc de terra in vniuersum sint dicta.

Tractantur aliqua de Terra habitabili Climatibus, & Zonis.

Caput Septimum.

DE habitabili nunc pauca quædam addamus, quæ pertinent ad climata habitationi commoda, incommodaue. Aristoteles, antiquioresque auctores omnes censuere totam eam terrę zonã, quæ subiecta est polo, eique propinquat, inhabitabilem esse ob nimium frigus, geluque continuum: quoniam maxime omnium a Sole distat, radijsq; adeo obliquis Sol eam attingit, vt nihil fere virium habeant ad generandum faciendumue calorem.

Contra arbitrati sunt vniuersam eam terræ zonam, quæ subiacet æquinoctiali circulo, & à tropicis includitur torridam esse, & ob nimios æstus inhabitabilem, quoniam Sol directis, aut parum obliquis radijs vniuersam eam partem illustrat. Inter has mediam temperatam & habitationi idoneam posue-

re zonam nostram inquam habitabilē. Rationi hac in re sensus attestari videbatur. Nam si iter feceris Septētrionem versus, semper adibis regiones magis, & subinde magis frigidas: quam magis ad Septentrionem accesseris: adeo vt postrema illa tempestatæ cognitæ triginta, & septem gradibus distantes à polo vix habitari conspicerentur ob frigoris intemperiem.

Sic si contrà æquinoctialem versus proficisceris, semper occurrent tibi regiones magis calidæ, tantoque feruentiores, quanto magis accesserint ad tropicum Cancri, iuxta quem in Africa, comperies Aethyopas, & Troglodytas habitare sub terra infossas cauernas ob nimios æstus. Quo argumento sibi facile persuaserūt vltra hos terminos esse terrę Zonas inhabitabiles, ob nimiū frigus alterā, alteram vero ob ingētes feruores. Pari ratione versus polum antarticum posuere inhabilem regionem ob ingentes algores, ac deinceps temperatam, zonam pertinentem fere ad tropicum, vsque Capricorni. In nostra autem habitabili zona Aristoteles existimauit quartum clima esse omnium temperatissimum sub quo est magna Greciæ pars. Hęc antiquorum sententia fuit. Auicenna vir summus hac in parte ab Aristotele dissentit. Putauit enim ad

fer-

feruorem, & æstum regionis non tantum facere directionem radiorum Solis, quantum nimiam moram Solis.

Quamobrem cum circa tropicos, Sol diutius moretur propter obliquitatem, & flexum zodiaci, in æquinoctiali vero circulo vix, vt ita dicam, momento temporis perseueret, sed confestim vlterius progrediatur existimauit Auicenna sub æquinoctiali circulo esse habitationem non inhabitabilem propter nimium calorem, quin potius temperatissimam, & maxime idoneam hominum habitationi ob eam Causam, quod ibi est perpetuum equinoctium.

Hanc Auicennæ positionem Auerroes eius viri laudis ęmulus, acerrimusque insectator plurimis rationibus conatur euertere in ea paraphrasi, quam edidit in Meteora Aristotelis. Inquit enim. Cum nullus diffiteri queat quin directio radiorum Solis calorem maximum faciat, itemque sensu, & experimento cōpertum sit post Solstitium plurimis diebus maiores fieri ęstus, quam in eo Solstitio, eo quod aer iam concepto in se calore, citius, & vehementius inflammatur à Sole etiam magis distante, quam in Solstitio. His ita constitutis putauit Auerroes liquido parere posse sub æquinoctiali circulo esse æstus intollerabiles. Nam Sol in

æquinoctijs perpendiculares radios iacit, ac propterea magnos calores cit: deinde iam feruefactus aer, quamuis Sol per xxiiij. fere gradus recedat, & non amplius maiores æstus concipit. Post quos non subit autumnus & hyēs, vt apud nos, sed iterum Sol incipit accedere ad eorum verticem: quamobrem augetur potius æstus, quam imminuatur: donec iterum radij redeant ad perpendicularem lineam: quem continuum modum motus cum semper Sol seruet, nimirum sequitur sub æquinoctiali circulo esse æstuantem regionem. Hæc Auerroes.

Hanc quæstionem, quæ multis iam annis versata est inter maximos Philosophos nostris temporibus experientia dissoluit. Nam ex hac noua Hispanorum ac præcipue Lusitanorum nauigatione compertum est sub circulo æquinoctiali, & inter tropicos habitationem esse, innumerasque gentes ea loca incolere, subfuscas, & non omnino atras, vt Aethiopes sunt. Quin sub eo circulo, sub quo in Africa inueniuntur Aethiopes, nusquam locorum sub eodem circulo Aethiopes omnino inuenti sunt. Ergo sub æquinoctiali circulo est habitatio, quod nemo negare potest. Non tamen temperatissima omnium, vt putauit

Aui-

Auicenna: quod ex colore, atque operationibus earum gentium, quæ incolæ sunt eorum locorum facile conijci potest. Nam & imbelles sunt, & timidi, neque ingenij dotibus cum Græcis conferendi, qui incolunt quartum clima.

Sub tropicis vero sunt regiones feruentiores, quam sub æquinoctiali, non tamen inhabitabiles, præter solitudines Africæ arena plenas, in quibus, ne vacuæ omnino sint, incolunt Aethiopes, & Troglodytæ.

Ex his sensu atque experientia compertis possumus commode rationem reddere, cur sub æquinoctiali sit habitatio: cum tamen Solis radij ibi perpendiculares sint his singulis quibusque annis. Etenim hoc incommodum ex perpendicularibus radijs illatum illis regionibus resarciunt nulla fere mora Solis in circulo æquinoctiali: directus enim ibi Zodiacus est, non flexus, vt in tropicis. Item noctes continuis temporibus horarum duodecim, ac postremo recessus Solis ab eorum orizonte, qui præceps descendit, & recta fertur sub pedes eorum populorum. Contra sub Tropicis, iuxtaque tropicos mora Solis ob flexum Zodiaci longiores dies æstiui, nec tam magnus descensus Solis sub

Orizonte faciunt æstatem feruentiorem quam sub æquinoctiali.

De Aethiopibus vero cur in Africa tantum inueniantur nusquam alibi, illud puto esse causa, quod præcipuum reor esse ad commoditatem, incommoditatemque regionum omnium qualitas scilicet, & conditio subiectæ telluris, an scilicet sit plana, vel frequẽ montibus, an rigetur fluminibus, an contra arida sit, an saxea, an arenosa, vel pinguis soli. Etenim omnia hæc summopere faciunt àd regionis temperiem, intemperiemue.

Illud quoque non omittendum, quibusnam ventorum flatibus sit exposita: vnde ferantur venti, quibus perflatur, an scilicet à locis vliginosis, an à feruentibus, vel à frigidis. Hæc vsque adeo immutant totam rationem habitationũ, vt interdum comperias inter se terras sub eadem plaga cœli sitas, quarum altera calida sit, altera frigida, salubris vna, altera morbosa. Ob hanc causam fit, vt reor ego, vt in Libia, vbi maxima est planities arenosa, nulli vero fontes, ea loca maximum concipiant à Sole calorem, vicissimque aerem calefaciant, vnde immutetur complexio hominum eas regiones incolentium, efficianturque æthiopes.

In alijs vero locis tropico subiectis, aut

aut vicinis irriguis fontibus, montibus frequentibus, & solo vliginoso id non item fiat, ibique nascantur homines fusci, non tamen æthiopes.

Mirum namque quantum in generatione rerum omnium faciant materia, cæteræque causæ proximæ, quæ sunt sub cœlo, quamobrem plerunq. euenit, vt qui ex causis tantum cœlestibus rationes harum rerum mortalium contemplari voluerit non habita ratione materiæ, cæterorumque causarum mortalium, quæ sæpenumero euariant, facile labatur, plurimumque erret.

Sicuti ergo causa cœlestis non est omittenda, ita non sunt negligendæ aliæ causæ, & qualitates materiæ subiectæ in rationibus rerum mortalium contemplandis, qui contemplandi modus, cum ab Astrologia diuinatrice omnino, dimittatur, liquido patet vniuersam eam artem veracem esse non posse. De quatuor igitur elementis, quatenus ex eis mundus hic inferior constituitur, satis dictũ esse reor pro modo huius opusculi, quod instituimus. Ideo finem faciam.

Explicit Liber Secundus.

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE LIBER TERTIVS.

Quot ſint Elementa mixtionis.

Caput Primum.

EA Ratione à ſapientiſſimo, optimoque rerum omnium principio ſub æthereo globo Mundus hic inferior eſt conſtitutus: vt elementa, quę illum componerent, ea temperatura inuicem commiſceri valerent, vt ex eis omnia mixta corpora generari poſſent. Ideo ſtatim in exordio huius operis propoſuimus nonnulla eſſe elementa compoſitionis: vt ſunt

literę

literæ dictionum, orationumque elementa: alia vero esse elementa mixtionis, vt acetum & mel elementa sunt oxymellis. Vtriusque generis elementa sunt hæc mundum constituentia corpora, de quibus tractare instituimus.

Postquam ergo de eis egimus, prout componunt, & constituunt hoc vniuersum, reliquus nobis tractatus est de hisce elementis, quatenus sunt principia constituentia cuiusque generis mixta. Aggrediamur ergo, primumque dicamus elementum vnum tantum esse, ex quo omnia mixta corpora generentur impossibile esse ratione euidentissima demonstrari. Nam si vnum esset elementum, inueniri non posset corpus ei contrarium. Nullum namque aliud corpus esse præter hoc simplex elemētum fingere possemus, quod ei esset cōtrarium, neque etiam in elemento ipso contrarium quippiam esse potest. Etenim, vt in primo libro ostendimus, elementum corpus simplex est, & vniforme. Nihil igitur vni illi elemento esset contrarium; quare alterari, neque aliqua in parte immutari posset.

Ex quibus sequitur, nullum posse effici ex eo mixtum corpus. Quin potius sequitur omnia esse vnum quemadmodum Melissus dicere consueuerat, quā-uis multa, & innumera esse viderentur.

 tur.

De primis qualitatibus in vniuersum.

Caput Secundum.

VErum antequam accedamus ad tractationem mixtionis horum elementorum, vt recto ordine perscrutatio, disciplinaq. nostra procedat, quædam prius in vniuersum de elementis, & qualitatibus his primis dicemus, quæ ad tractationem hanc plurimũ faciunt, sigillatim deinde de natura harum quatuor primarum qualitatum, necnon sigillatim de quatuor elementis ea dicemus, quę si quis ignoret mixtionis rationem probe intelligere non poterit. Primum ergo, quod de qualitatibus primis venire in dubium potest, illud est, an scilicet qualitates hæ primæ sint elementorum substantiæ, & naturę, formæque, per quas elementa sint: vt Alexander, Aphrodisæus illustris auctor in Scholis Peripateticorum opinatus est.

Paruis huic quæstioni respondemus, qualitates has primas substantiales formas, & naturas elementorum esse non posse. Nam nulla substantia est sensibilis per se, vt dicit Philosophus in secundo de Anima. Nulli autem dubium est, quin hæ primæ sint perceptibiles

tactui

actui, & sensibiles. Substantiæ ergo esse nequeunt. Item cum vnumquodq. elementum simplex duas habeat qualitates, vt diximus, vel ergo vna tantum erit forma substantialis, & altera qualitas, & accidens, aut vtraq. erit elementi forma. Si vnam tantum dixeris esse formam, & alteram accidens confestim apparet figmentum id esse. Cur etenim eadem ratione altera quoq. non erit qualitas: Item cum quatuor sint elementa necesse erit vnumquodque eorum vnam sibi qualitatem vendicare, vt substantiam, & naturam.

At qui fieri potest, vt verbi gratia siccitas sit natura terræ, eiusque substantia, eadem tamen siccitas pura, & immixta in igne sit accidens; sic calidi-tas in igne substantia, in aere qualitas. Amplius si ex terra generetur ignis; frigiditas tantum pellitur siccitas remanet: Forma ergo terræ substantialis remanebit. Quo pacto igitur terra ignis esse poterit? Quod si dixeris vtranque qualitatem esse elementi substantiam, nimirum vnamquamque formam, & actum suum esse consequitur. Vtranq. igitur harum qualitatum suum esse substantiale consequetur. At cum esse, & vnum dicant eandem naturam: vnumquodque elementum erit non vna, sed duæ substantiæ, vnaq. & eadem mate-

rie

De primis qualitatibus in vniuersum.

Caput Secundum.

VErum antequam accedamus ad tractationem mixtionis horum elementorum, vt recto ordine perscrutatio, disciplinaq. nostra procedat, quædam prius in vniuersum de elementis, & qualitatibus his primis dicemus, quæ ad tractationem hanc plurimũ faciunt, sigillatim deinde de natura harum quatuor primarum qualitatum, necnon sigillatim de quatuor elementis ea dicemus, quę si quis ignoret mixtionis rationem probe intelligere non poterit. Primum ergo, quod de qualitatibus primis venire in dubium potest, illud est, an scilicet qualitates hæ primæ sint elementorum substantiæ, & naturę, formæque, per quas elementa sint: vt Alexander, Aphrodisæus illustris auctor in Scholis Peripateticorum opinatus est.

Paruis huic quæstioni respondemus, qualitates has primas substantiales formas, & naturas elementorum esse non posse. Nam nulla substantia est sensibilis per se, vt dicit Philosophus in secundo de Anima. Nulli autem dubium est, quin hæ primæ sint perceptibiles tactui

actui, & sensibiles. Substantiæ ergo
:sse nequeunt. Item cum vnumquodq.
:lementum simplex duas habeat quali-
ates, vt diximus, vel ergo vna tantum
:rit forma substantialis, & altera qua-
itas, & accidens, aut vtraq. erit ele-
nenti forma. Si vnam tantum dixeris
:sse formam, & alteram accidens con-
estim apparet figmentum id esse. Cur
:t enim eadem ratione altera quoq. non
:rit qualitas: Item cum quatuor sint
:lementa necesse erit vnumquodque
:orum vnam sibi qualitatem vendica-
·e, vt substantiam, & naturam.

At qui fieri potest, vt verbi gratia
iccitas sit natura terræ, eiusque substá-
ia, eadem tamen siccitas pura, & im-
nixta in igne sit accidens; sic calidi-
as in igne substantia, in aere quali-
as. Amplius si ex terra generetur ignis;
rigiditas tantum pellitur siccitas rema-
ıet: Forma ergo terræ substantialis re-
nanebit. Quo pacto igitur terra ignis
:sse poterit? Quod si dixeris vtranque
ıualitatem esse elementi substantiam
ıimirum vnamquamque formam, &
ctum suum esse consequitur. Vtranq.
gitur harum qualitatum suum esse sub-
tantiale consequetur. At cum esse, &
num dicant eandem naturam: vnum-
ıuodque elementum erit non vna, sed
luæ substantiæ, vnaq. & eadem mate-
rie

De primis qualitatibus in vniuerſum.

Caput Secundum.

VErum antequam accedamus ad tractationem mixtionis horum elementorum, vt recto ordine perſcrutatio, diſciplinaq. noſtra procedat, quædam prius in vniuerſum de elementis, & qualitatibus his primis dicemus, quæ ad tractationem hanc plurimũ faciunt, ſigillatim deinde de natura harum quatuor primarum qualitatum, necnon ſigillatim de quatuor elementis ea dicemus, quę ſi quis ignoret mixtionis rationem probe intelligere non poterit. Primum ergo, quod de qualitatibus primis venire in dubium poteſt, illud eſt, an ſcilicet qualitates hæ primæ ſint elementorum ſubſtantiæ, & naturę, formæque, per quas elementa ſint: vt Alexander, Aphrodiſæus illuſtris auctor in Scholis Peripateticorum opinatus eſt.

Paruis huic quæſtioni reſpondemus, qualitates has primas ſubſtantiales formas, & naturas elementorum eſſe non poſſe. Nam nulla ſubſtantia eſt ſenſibilis per ſe, vt dicit Philoſophus in ſecundo de Anima. Nulli autem dubium eſt, quin hæ primæ ſint perceptibiles

tactui

actui, & sensibiles. Substantiæ ergo esse nequeunt. Item cum vnumquodq. elementum simplex duas habeat qualitates, vt diximus, vel ergo vna tantum erit forma substantialis, & altera qualitas, & accidens, aut vtraq. erit elementi forma. Si vnam tantum dixeris esse formam, & alteram accidens confestim apparet figmentum id esse. Cur etenim eadem ratione altera quoq. non erit qualitas: Item cum quatuor sint elementa necesse erit vnumquodque eorum vnam sibi qualitatem vendicare, vt substantiam, & naturam.

At qui fieri potest, vt verbi gratia siccitas sit natura terræ, eiusque substantia, eadem tamen siccitas pura, & immixta in igne sit accidens; sic calidita s in igne substantia, in aere qualitas. Amplius si ex terra generetur ignis; frigiditas tantum pellitur siccitas remanet: Forma ergo terræ substantialis remanebit. Quo pacto igitur terra ignis esse poterit? Quod si dixeris vtranque qualitatem esse elementi substantiam, nimirum vnamquamque formam, & actum suum esse consequitur. Vtranq. igitur harum qualitatum suum esse substantiale consequetur. At cum esse, & vnum dicant eandem naturam: vnumquodque elementum erit non vna, sed duæ substantiæ, vnaq. & eadem materie

De primis qualitatibus in vniuersum.

Caput Secundum.

VErum antequam accedamus ad tractationem mixtionis horum elementorum, vt recto ordine perscrutatio, disciplinaq. nostra procedat, quædam prius in vniuersum de elementis, & qualitatibus his primis dicemus, quæ ad tractationem hanc plurimũ faciunt, sigillatim deinde de natura harum quatuor primarum qualitatum, necnon sigillatim de quatuor elementis ea dicemus, quę si quis ignoret mixtionis rationem probe intelligere non poterit. Primum ergo, quod de qualitatibus primis venire in dubium potest, illud est, an scilicet qualitates hæ primæ sint elementorum substantiæ, & naturę, formæque, per quas elementa sint: vt Alexander, Aphrodisæus illustris auctor in Scholis Peripateticorum opinatus est.

Paruis huic quæstioni respondemus, qualitates has primas substantiales formas, & naturas elementorum esse non posse. Nam nulla substantia est sensibilis per se, vt dicit Philosophus in secundo de Anima. Nulli autem dubium est, quin hæ primæ sint perceptibiles tactui

actui, & sensibiles. Substantiæ ergo esse nequeunt. Item cum vnumquodq. elementum simplex duas habeat qualitates, vt diximus, vel ergo vna tantum erit forma substantialis, & altera qualitas, & accidens, aut vtraq. erit elementi forma. Si vnam tantum dixeris esse formam, & alteram accidens confestim apparet figmentum id esse. Cur et enim eadem ratione altera quoq. non erit qualitas: Item cum quatuor sint elementa necesse erit vnumquodque eorum vnam sibi qualitatem vendicare, vt substantiam, & naturam.

At qui fieri potest, vt verbi gratia siccitas sit natura terræ, eiusque substātia, eadem tamen siccitas pura, & immixta in igne sit accidens; sic caliditas in igne substantia, in aere qualitas. Amplius si ex terra generetur ignis; frigiditas tantum pellitur siccitas remanet: Forma ergo terræ substantialis remanebit. Quo pacto igitur terra ignis esse poterit? Quod si dixeris vtranque qualitatem esse elementi substantiam, nimirum vnamquamque formam, & actum suum esse consequitur. Vtranq. igitur harum qualitatum suum esse substantiale consequetur. At cum esse, & vnum dicant eandem naturam: vnumquodque elementum erit non vna, sed duæ substantiæ, vnaq. & eadem materie

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE LIBER TERTIUS.

Quot ſint Elementa mixtionis.

Caput Primum.

EA Ratione à ſapientiſſimo,optimoque rerum omnium principio ſub æthereo globo Mundus hic inferior eſt conſtitutus: vt elementa,quę illum componerent, ea temperatura inuicem commiſceri valerent, vt ex eis omnia mixta corpora, generari poſſent. Ideo ſtatim in exordio huius operis propoſuimus nonnulla eſſe elementa compoſitionis: vt ſunt

literę

literæ dictionum, orationumque elementa: alia vero esse elementa mixtionis, vt acetum & mel elementa sunt oxymellis. Vtriusque generis elementa sunt hæc mundum constituentia corpora, de quibus tractare instituimus.

Postquam ergo de eis egimus, prout componunt, & constituunt hoc vniuersum, reliquus nobis tractatus est de hisce elementis, quatenus sunt principia constituentia cuiusque generis mixta. Aggrediamur ergo, primumque dicamus elementum vnum tantum esse, ex quo omnia mixta corpora generentur impossibile esse ratione euidentissima demonstrari. Nam si vnum esset elementum, inueniri non posset corpus ei contrarium. Nullum namque aliud corpus esse præter hoc simplex elemẽtum fingere possemus, quod ei esset cõtrarium, neque etiam in elemento ipso contrarium quippiam esse potest. Etenim, vt in primo libro ostendimus, elementum corpus simplex est, & vniforme. Nihil igitur vni illi elemento esset contrarium; quare alterari, neque aliqua in parte immutari posset.

Ex quibus sequitur, nullum posse effici ex eo mixtum corpus. Quin potius sequitur omnia esse vnum quemadmodum Melissus dicere consueuerat, quãuis multa, & innumera esse videren-

tur. Cum ergo vnum elementum esse non possit, plura sunt ergo elementa. Quot autem sint Aristoteles in secundo libro de generatione acutissima simul, verissimaque ratione inuestigat. Etenim elementa ob eam causã conficiunt mixta omnia: quoniam inuicem immutantur, & alterantur. Omnis autem alteratio pendet ex qualitatibus primis sibi inuicem contrarijs. Nam secundæ qualitates pendent à primis, sicuti à principijs. Primæ vero qualitates sunt tactu perceptibiles, maximeq. omniũ actiuæ.

Huius generis qualitates quatuor sũt caliditas scilicet, frigiditas, humiditas, & siccitas. Cum igitur sit impossibile aliquod corus inueniri, in quo vna tantum sit harum qualitas, opus est enim ad omnes mixtiones faciendas quodlibet horum elementorum à quolibet pati, & immutari posse. Sensus item hoc attestatur. Nunquam etenim visum est corpus calidum nullo tamen pacto humidum; siccumque, aut frigidum, neque aridum. Sic de siccitate, & humiditate sensu compræhendes, neutram earum disiunctam esse à calidite frigiditateue.

Ex coniunctionibus harum qualitatum primarum, & simplicium inueniri commode potest numerus elementorum componentium mixta corpora,

omnia

omnia. Hæ vero qualitates quatuor sex coniunctionibus cogitatione inuicem componi queunt: quarum duas impossibile est esse in rerum natura: qui enim fieri potest, vt summa caliditas sit cum summa frigiditate, aut summa humiditas cum sũma siccitate? nequeunt enim contraria simul esse in eodem subiecto corpore. Quod si has qualitates sumpseris non summas vt scilicet vnũ, idemque corpus, & caliditatis partem, & frigiditatis portionem obtineat, iam corpus illud non amplius simplex, sed mixtum erit. In corpore namque simplici simplices, & puras qualitates esse oportet, non immixtas, & impuras.

Restāt ergo quatuor copulationes caliditatis inquã, & humiditatis, itē caliditatis, & siccitatis: frigiditatis, & humiditatis, item frigiditatis, & siccitatis.

Quatuor ergo elementa erunt. Hoc quod ratio persuadet sēsus testatur. Nā ignis, aer, aqua, & terra, quæ communi omniu consensu sunt elementa mixtorũ omniũ hisce qualitatibus affecta sunt in hunc modum coniunctis. Ignis namque calidissimus est, & siccissimus: aer item calidissimus, & maxime humidus: aqua frigidissima est, summeq. humida. Terra sua natura frigidissima est, & siccissima.

De

De primis qualitatibus in vniuersum.

Caput Secundum.

VErum antequam accedamus ad tractationem mixtionis horum elementorum, vt recto ordine perscrutatio, disciplinaq. nostra procedat, quædam prius in vniuersum de elementis, & qualitatibus his primis dicemus, quæ ad tractationem hanc plurimū faciunt, sigillatim deinde de natura harum quatuor primarum qualitatum, necnon sigillatim de quatuor elementis ea dicemus, quę si quis ignoret mixtionis rationem probe intelligere non poterit. Primum ergo, quod de qualitatibus primis venire in dubium potest, illud est, an scilicet qualitates hæ primæ sint elementorum substantiæ, & naturę, formæque, per quas elementa sint: vt Alexander, Aphrodisæus illustris auctor in Scholis Peripateticorum opinatus est.

Paruis huic quæstioni respondemus, qualitates has primas substantiales formas, & naturas elementorum esse non posse. Nam nulla substantia est sensibilis per se, vt dicit Philosophus in secundo de Anima. Nulli autem dubium est, quin hæ primæ sint perceptibiles

tactui

actui, & sensibiles. Substantiæ ergo esse nequeunt. Item cum vnumquodq. elementum simplex duas habeat qualitates, vt diximus, vel ergo vna tantum erit forma substantialis, & altera qualitas, & accidens, aut vtraq. erit elementi forma. Si vnam tantum dixeris esse formam, & alteram accidens confestim apparet figmentum id esse. Cur etenim eadem ratione altera quoq. non erit qualitas: Item cum quatuor sint elementa necesse erit vnumquodque eorum vnam sibi qualitatem vendicare, vt substantiam, & naturam.

At qui fieri potest, vt verbi gratia, siccitas sit natura terræ, eiusque substantia, eadem tamen siccitas pura, & immixta in igne sit accidens; sic calidias in igne substantia, in aere qualitas. Amplius si ex terra generetur ignis; frigiditas tantum pellitur siccitas remanet: Forma ergo terræ substantialis remanebit. Quo pacto igitur terra ignis esse poterit? Quod si dixeris vtranque qualitatem esse elementi substantiam, nimirum vnamquamque formam, & actum suum esse consequitur. Vtranq. igitur harum qualitatum suum esse substantiale consequetur. At cum esse, & vnum dicant eandem naturam: vnumquodque elementum erit non vna, sed duæ substantiæ, vnaq. & eadem materie

riæ portio erit, atque existet per duo esse: omniũ maxime est impossibile, iureq. quidem ineptus haberi possem, si vellem hoc ostendendo diutius immorari.

Vnumquodq. igitur elementũm corpus est simplex compositum ex materia simplici, & forma maxime simplici, habetque suam grauitatem, & leuitatem, quibus mouetur ad locum natura sibi debitum, & in eo quiescit. habet item duas qualitates primas, quarum vi agit, & patitur, generatur, corrumpitur, & mixtionem facit mixtorum omnium.

Hoc in loco non est prætereundum qualitates has primas esse in elementis simplicibus intensissimas, & secundum omnem earum latitudinem, non tantum secundum omnem agendi vim. Etenim si in elemento quopiam aliqua earum remissa esset, vel ergo hoc contingeret ob mixtionem qualitatis contrariæ, vel absq. vlla contrarij mixtione. Sicuti contingit in lumine, quod remissius est interdum: nullum tamen contrarium habet.

Si prius dixeris statim sequitur corpus illud simplex non esse: non enim in puro simplici elemẽto quapiam mixtio esse potest. Si secundum dixeris, id contin-

tin-

tinget primo absurdū, quod in qualitatibus primis habentibus contrarium, ponitur remissio absque mixtione contrarij; quod etiam in secundis Aristoteles negat. Inquit enim in Topicorum libro tertio. Albius est id, quod est nigro impermixtius. Et Galenus in libro complexionum in compluribus locis. Deinde si verbi gratia ignis propinquet aeri, vtique cum caliditas ignis sit summa, aeris vero remissa: ignis aerem calefaciet in momento temporis: nam vbi non est contrarietas, nequit esse resistentia, & vbi non est resistentia non potest esse motus continuus & quantus: vt supra diximus, cum loqueremur de motu elementorum in vacuo. Calefactio autem omnis alteratio est: nam in tertia specie qualitatis est motus alterationis.

Alteratio ergo quæpiam erit in momento temporis: Amplius calefactus aer ab igne ad summum vsque gradum erit ne purus aer? an impurus? Impurum dicere non possumus: nulla etenim in eo est qualitatum mixtio. Purus ergo aer erit summe calidus. Amplius si ex aere, & terra corrupta humiditate aeris, & terræ frigiditate fiat ignis: vt dicit Philosophus in secundo libro de generatione & corruptione

erit

erit ne caliditas ea summa? Diffiteri non potest, quoniam est ignea. At ea erat in aere corrupto.

In aere igitur est summa caliditas. Quod si quæris cur aer nõ ita calefaciat, vt ignis, dicimus hoc fieri ob humiditatem adiunctam, quæ caliditatem obtundit, & siccitatem igneam, quæ calorem acuit. Sed de hoc latius infra.

Cæterum quoniam mixta corpora fiunt ex elementis, in quibus ostendimus esse substantiales formas, & præterea qualitates primas preter grauitatem & leuitatem, confestim quæstio insurgit, An scilicet cum ex elementis mixtione quapiam fuerit mixtum corpus generatum, formæ substantiales elemẽtorum, & qualitates primæ remaneant in eo mixto corpore: an potius tum formæ, tum qualitates primæ eorum corrumpantur. Ac demum quonam pacto sint in mixto. Auicenna vir summus, vt Aueroes refert in tertio libro de Cœlo, quoniam elementa sunt mixtorum materia arbitratus est in mixto corpore elementa esse in actu perfecto, quantum pertinet ad formas substantiales, neque in formis illis fieri mixtionẽ, sed elementa inuicem misceri ob primas qualitates, illisque mutua actione redactis ad temperaturam, quæ complexioni cuiuspiam mixti corporis conueniat,

ueniat, generari mixtum illud corpus.

Hæc viri alioqui magni positio euidentissima ratione confutatur. Nam si in actu perfecto substātiales formæ elementorum remanent in mixto corpore vtique fieri non posset, vt in eo mixto alia esset forma substantiæ præter illas. Quicquid enim aduenit enti, & substātiæ in actu per se existenti, accidens est, non substantia. Nisi vellemus concedere vnum idemque corpus habere duplex esse, ac propterea non esse vnū. Itaque sequitur ex positione Auicennæ mixta corpora omnia non esse vna, nisi ob complexionem, & secundum accidens. Absolute verò & simpliciter vnumquodq. mixtum esse plures substantias, non autem vnam.

Quamobrem omnes fere Latini senserunt in mixtis corporibus non remanere formas elementorum in actu, sed tantum in potentia, & virtute, vt sic dicam.

Est ergo horum sententia in vnoquoque mixto corpore terra & aqua, item aer & ignis, non tamen actu. Nam in mixto nullum elementorum est forma; & substantia, sed potentia & virtute, quoniam forma cuiusq. mixti pro eius temperie continet vim, & perfectionem omnium elementorum.

Hæc sententia licet non posset improbari

bari ratione ita euidenti, quemadmodum Auicennæ positio: non tamen omnino satisfacit rationi mixtionis, & definitioni elemẽti, quã in frõte huius opusculi posuimus. Etenim ea, ex quibus cõponitur mixtũ, materia quędã sũt mixti illius corporis. Materia vero differt a cõtrario, & è priuatione, quia materia remanet post generationẽ factã, contrariũ vero & priuatio non remanet. Qui ergo dicit, quod formæ & substãtiæ elementorũ secundũ suum esse omnino non remanent, sed omnino pereũt, videtur auferre rationẽ & naturã miscibiliũ, ac potius facere miscibilia cõtraria quædã, ex quibus mixtum generetur, quam illam materiam mixtorum. Præterea elemẽtũ esse id diximus, ex quo fit aliquid, cũ insit. Quo igitur pacto elemẽtũ erit si omnino secundũ sui esse nõ insit? Amplius mixtũ omne dissolui potest in elementa, ex quibus est mixtũ. At qui quomodo dissolui in ea poterit si in ipso omnino nõ sint, eaq. mutatio si fiat, dissolutio appellari nõ poterit: sed mixti corruptio, & elementorum generatio.

Idcirco reor ego Auerrois de hac re, sententiã magis verisimilẽ esse, rationique magis consentaneã. Inquit is auctor in tertio libro de cœlo formas elementorũ esse formarũ omniũ substantialium imperfectissimas, ideoq. plurimũ recedere

dere ā natura ſubſtantię, & accedere ad naturā accidentiū; ex quo fieri, vt more accidētium, frangi, imminui, & remitti queāt: rurſuſq; ſi cōtingat intendi, & fieri perfectiores, ſicuti cōſpicimus calidū intēſius, & remiſſius: itē frigidū magis minuſue fieri. Cum ergo more accidentiū poſſint formę elementorū frāgi, & minui, vtiq; quāuis deſtituātur per certā imminutionē qualitatū ab eſſe ſubſtātiali: remanent tamē formę illæ in quopiā actu. Nā cū ab eſſe ſubſtātiali receſſerint, iam ſunt ita imperfectę, vt amplius preſtare nō queant materię, in qua ſunt eſſe ſubſtātiale. Itaq; ſi ver. gra. ignis immutatus ſit, adeo vt formā eius ſubſtantialē eſſe ſubſtātiale deſtituat, geret forma ignis imminuta vicē accidentis; Sicque igne corrupto mixtū generabitur: quod tamē iure poterit dici igneū ſeu ignitū, ob formā ignis ipſi inexiſtentē imperfectā tamē & refractā. Quæ tamē nō in eā ſententiā accipi volumus, vt ſcilicet fateamur dari certū quendā gradū, quo minimo cōſiſtant elemēta: ſub minori vero cōſtare nō queāt. Nā rei & ſubſtātię per ſe exiſtētis daretur vltimum inſtās in quo eſt: quod tamē falsū eſse Ariſtot. oſtēdit in 8. Phyſicorū; ſed in bonū ſensū capias velim noſtra hęc dicta, quiſquis legeris ea. Imminutio vero, & refractio hęc elemētorum; ſeu formarum elementarium multis innumeriſque modis fieri poteſt.

Nam

Nam tum fit immutatione vtriusque qualitatis, tum tantum alterius. Quin etiam rarefactione & condensatione, diuisione nimia, cæterisque huius generis immutationibus compluribus.

Cum ergo mutua actione, Passioneque elementa si inuicem fracta fuerint & immutata, vt nullum eorum proprii esse, per quod est, conseruare queat, tunc vi caloris proprij, & cœlestis qualitatis, vt infra dicam, conflatur forma media mixti corporis, generaturque mixtum: in quo sunt elementa in actu non perfecto, vt posuit Auicenna: nec omnino corrupto, vt latini fere omnes peripatetici senserũt; sed refracto adeo vt illæ formæ vicem potius habeant accidentium, quam substantiarum.

Nec illud ab hac sententia deducere nos debet, quod substantia magis & minus non recipit, vt in prædicamentis dicit Philosophus. Nam elementa in genere substantiæ imperfectissima sunt, acceduntque ad naturam accidentium. Inde fit, vt vtriusque naturę proprietatem referant. Nam quoniam elementorum formæ substantiæ sunt: non, habent quod secundum certum, & constitutum quendam earum gradum dent esse simpliciter, & substantiale materi in qua sunt, constituuntque indiuiduum per se existens in determinata substãti specie.

Quod si . Isque gradus summus est, & indiuisibilis non recipiens magis minusue. Fieri namque nullo modo potest vt recte inquit Diuus Thomas, vt species vlla, seu differentia specifica prædicetur secundum magis & minus de indiuiduis subiectis: quod proculdubio cõtingeret, si forma illa, per quam materia, & subiectum in specie, & natura constituitur reciperet maius, minusue. Nam si forma ignis, quatenus ignem constituit, reciperet magis & minus: aliquis ignis esset magis ignis, alter vero minus ignis. Ideoque differentia substantialis non esset sicuti vnitas, & species, vt numeri; quod tamen Aristoteles docet in octauo libro Metaphysices.

Natura enim vniuscuiusque rei in indiuisibili differentia consistit. Ens etenim & vnum dicunt eandem naturam. Sunt ergo formæ elementorum substantię, secundum gradum illum indiuisibilem, in quo constitutæ dant esse substantiale, & indiuiduum substantiale suæ speciei constituunt. Cum vero ab eo indiuisibili recesserint per alterationem qualitatum, qnia modum qualitatum habent, & naturam accidentium referunt, non penitus intereunt more substantiarum perfectarum: sed remanent, vt accidentia quædam materiam dispo-

disponentia ad receptionē forr
perfectionis elementorum natu
hoc pacto, vt elementa mixtum co
stituunt priori modo. Sunt substantiæ,
ex quibus corruptis generatur corpu
mixtum.

Illud vero, quod pene omnes Auerro
adscribunt; ac fere ab eo auctore expri-
mitur in tertio libro de Cœlo, qualita-
tes scilicet primas esse proprias elemen-
torum affectiones, ita quod ad indu-
ctionē qualitatis pariter inducitur for-
ma elementi, itemque ad remissionem
remittatur, pariq; passu procedant for-
mæ & qualitates hæ primæ: mihi non
placet. Nam cum vnaquæque qualita
prima duobus elementis conueniat
vtiq. neutrius erit propria passio, si pro-
prium accipiatur in quarto significato
quod scilicet omni soli, & semper con-
uenit: sed erit proprium superioris c
iusdam generis innominati. At cum
genus non sit præter generis species
vtique innominata natura generis indu-
ci non potest, nisi inducta forma alte-
rius elementorum, vel vtriusque.

Si vtriusque dixeris, certe impossibi-
le est simul duas eadem, simplicique al-
teratione in eadem subiecta materia
generari. Si vero alteram tantum dicas
vtra tandem, hæc erit? Etenim ea qua-
litas nō minus huic, quam alteri cōueni

Quod

Quod si dixeris illius elementi formam induci, quod tunc agit ea qualitate, vt puta si caliditate agat ignis; induci subinde formam ignis, sin aer agat, aeris formam: nimirum hoc dici non potest.

Nam interdum ex duobus extremis elementis tertium medium generatur, vt Aristoteles dicit in secundo de generatione: vt puta si aqua humiditate superauerit siccitatem ignis: contra ignis caliditate superauerit aquæ frigiditatē: vtique fiet aer, non autem aqua, aut ignis. Quo pacto igitur dici potest calefactione ignis inductam esse formam ignis, & humectatione aquę inductam esse formam aquæ, si perfecta absolutaque alteratione neutrum sit generatum: sed tertium elementum medium aer scilicet.

Ex his efficitur si aqua pura calefiat ab igne: caliditatem in ea recipi, diminuique frigiditatem ad certum vsq; gradum: sub quo stare non potest forma aquæ, ad quem cum peruenerit alteratio: vel fieri ignem, sicque nihil prioris formæ remanere: etenim nullum elementum potest esse, vt elementum in altero elemento: omnia namque eiusdem ordinis sunt simplicia, non mixta: vel fieri mixtum quoddam tertium, in quo remaneat

forma aquæ in gradu remiſſo, qui variat pro natura mixti, vt accidens quoddam in ea aquæ portione, & tunc immiſceri cum aliorum formis elementorum: non enim ſubſtantiæ amplius sũt, adeo vt in portione aquę recipiatur forma ignis, viciſsimque in portione ignis forma aquæ: ſicque fieri mixtionem elementorum non tantum ſecundum qualitates, ſed etiam ſecundum ſubſtantias.

Itaque in primo illo momento, in quo incipit eſſe mixtum incipiunt etiam eſſe formæ elementorum, refractæ tamen pro natura mixti in vnaquaque mixti portione ita tamen, vt vnaquæq. in ſua materiæ portione longe magis inhæreat rei in qua fixa ſit, quam in portionibus comparium elementorum. Quo fit, vt in diſſolutione mixti longe facilius vnaquæque portio elementi ad naturam priſtinam reuertatur, quam ad alienam, alterius videlicet elementi.

Poſtquam ſatis dictum puto de propoſita quæſtione, quonam pacto ſcilicet elementa ſint in mixto corpore, quod ex eis generatur, pauca perſtringenda ſunt de qualitatibus primis, ex quibus conflatur complexio, ſecunda ſcilicet quædam qualitas primis proxima. De primis qualitatibus id primum inquiri debet; quod proximum, atque affine

eſt

eſt ei: quod iam peregimus de elementis, an ſcilicet cum ex quatuor primis efficiatur complexio ſecunda, in quam qualitas conflata ex mixtione primarum remaneant qualitates primæ, an potius corrumpantur: & ſi remaneant, quonam pacto remaneant.

Puto enim nullum ambigere qualitates primas poſt conflatam complexionem remanere aliquo pacto, nec omnino intercidere. Nam experimur mixta corpora, quorum vnumquodque ſuã habet complexionem, calefacere, frigefacere, humectare, & exſiccare pro cuiuſque natura. Hæ autem actiones fieri non poſſent, niſi in eis eſset vis caloris, cæterarumque primarum qualitatum: non ergo intercidunt. Verum nonnulli arbitrantur remanere quidem in complexione qualitates primas, non tamen actu, ſed virtute, ita ſcilicet vt conflata complexione confeſtim corrumpantur qualitates omnes primæ, ſolaq. complexio remaneat, in qua vis ſit omnium qualitatum illarum.

Itaque complexionis in mixta corpora agere actiones omnes primarum qualitatum. Horum poſitio meo iudicio & experimento ſenſus, & rationi contradicit. Etenim ſenſus nullus circa proprium ſenſibile decipitur, ſi & medium, & organum ſenſus ſecundum

naturam se habeant. Cum ergo sensu tactus, si mixta corpora tetigerimus, percipiamus qualitates illas primas, calorē inquam & frigus, humorem, & siccitatem: velle contrarium adstruere, assereréq. nullam ibi actu esse harum qualitatum, sed virtute tantum: est experimento, sensuique contradicere.

Ratio etiam idem nobis suadet. Nam qualitates primæ sunt veluti elementa quædam complexionis: ex illis etenim conflatur complexio, sicuti mixtum ex elementis. Inesse ergo actu oportet in complexione qualitates primas. Amplius dispositiones, quæ faciunt materiam quamque propriam esse formę cuiuslibet mixti saltem in prima mixtione elementorum, sunt qualitates primæ ad certum gradum modumq. redactæ.

Dispositio vero, quæ facit materiam propriam cuiuspiam formæ, non corrumpitur, esseue desinit adueniente forma, immo remanet, & ab ea conseruatur forma in illa materiæ portione, ita vt illa dispositione recedente pereat forma. Igitur in prima elementorum mixtione adueniente forma mixti remanent primæ qualitates, quamobrem remanebunt etiam cum complexione propria illi mixto. Parique ratione in in alijs mixtis secundis tertijsue remanebunt.

Dicen-

Dicendum ergo nobis est sub complexione qualibet remanere actu qualitates primas, refractas tamen, inuicemque mixtas ea temperatura, quæ complexioni conueniat.

De Calore, & frigiditate.

Caput Tertium.

His expositis nũnc à nobis sigillatim agendum est primum de quatuor primis qualitatibus, deinde de quatuor elementis, eaque de ipsis paucis exponenda, quæ faciunt ad institutum mixtionum negotium. Nam si naturæ eorum omnium diligenter, recteque à nobis fuerint inuestigatæ, magna nobis fundamenta iacta erunt ad superstruendam omnem tractationem de mixtione. Exordium sumam à caliditate, quæ omnibus iure est præferenda, quoniã lõge præstãtior est cæteris omnibus.

Caliditas omniũ primarũ qualitatum præstantissima quodammodo æmulatur excellentiã cœlestis qualitatis. Nam & maxime actiua est, omniũ quoq. mixtorũ generatrix: vt pote quæ primum sit, proximumq. instrumẽtum cœlestis virtutis, & qualitatis: omnia etiã quæ mixta sunt dissoluit. Adeoque cæteris. primis qualitatibus præstat, vt si conferãtur

caliditati: omnes habeant vicem materiæ, & patientis: calor vero sit vt efficiens causa, vt & forma.

Vt autem in summa concludam, natura caliditatis hæc est. Ad agendum omnium est efficacissima, & potentissima: contra ad resistendum omnium maxime infirma, & imbecillis. Vim caliditatis in agendo præter rationem, quam tetigimus, ex ipsius perfectione, & cognatione quadam ad cælestem vim sensu & experimento quilibet facile experitur.

Si conferatur ergo caliditas frigiditati, cæteris omnibus paribus, virtus caloris in agendo longe longeque maior est, quam virtus in agendo frigiditatis. Item virtus actiua caliditatis superat nō tantum virtutem in agendo frigiditatis, sed etiam in resistendo: quo fit, vt caliditas vt quatuor, & vt tria sumendo gradus latitudinis harum qualitatum, non gradus virtutis, seu in agendo, seu in resistendo aget, & superabit frigiditatem, vt quatuor, immo fortasse etiam frigiditatem vt quinque: quoniam virtus actiua caliditatis superat virtutem resistendi frigiditatis etiam maioris latitudinis, quoad intensionem qualitatis, inquam, non autem actionis, siue, vt ita dicam, actiuitatis. Hi namque gradus differunt inter se, vt infra ostendam.

Cali-

Caliditas quæ tam magnæ virtutis est in agendo, minime tamen omnium resistit corrumpenti. Hoc tum rationibus, tum experimento probatur. Etenim quiuis experitur, si fuerit vis frigiditatis superans caliditatem, dicto citius rem calidam frigefieri, confestimque caliditatem corrumpi. Non item videbis hoc in frigiditate, aliaue qualitate.

Mira etiam ratione hoc natura effecit: nam cum proportio par debeat esse in elementis. Si elementum ignis, in quo præcipue viget calor, in resistendo non deficeret tantum, quantum superat cætera in agendo, proculdubio omnia iam conflagrassent vi ignis assũpta. Item cum resistentia sit ex forma, quatenus est in materia, sicuti actio pendet a forma, prout est a materia absoluta: cum caliditas sua natura parum habeat materiei, ab eaque multum sit absoluta, idcirco merito in agendo efficacissima est, in resistendo vero parum potens. Nam eius materia, vt pote pauca, & disgregata, habensque formam absolutiorem, materialem tamen: cito vincitur ab agente alio. Sicque facile exuit caliditatem. Item calor si frigori conferatur, habet rationem naturæ, vitæ, & habitus. Frigiditas vero priuationis, & interitus: quod clarius

patebit cum loquemur de mixtione. Si vero conferatur caliditas humiditati, & ficcitati, actiua est caliditas & forma: duo hæc passiua, & materia. Caloris etenim est componere, & cōgregare omogenea per concoctioné, aliena vero separare. Hæc de calore in vniuersũ dicta sint, quæ cum de mixtione tractabimus magis illustrabuntur.

Sequitur calorem frigiditas, quæ item actiua est qualitas, habet suam vim in agendo, itemque in resistendo, longe tamen diuersam ab vtraq. istiusmodi vi caliditatis. Nam quãuis frigiditas magnam habeat in agendo efficaciam, minime tamen conferenda est cum vi caliditatis. In resistendo vero longe superat resistentiam caliditatis. Sicq. natura proportione quadam compensat, ac librat vim vtriusq. qualitatis, quæ cum sint inter se contrariæ, alteraque alterius interitum machinetur, ac moderatione librantur, vt perpetuo perseuerent.

Cęterum cum eam, quam diximus in agendo vim habeat frigiditas: longe tamen diuersa est caloris frigorisq. actio. Nam calor veluti instrumentum est primum, & per se totius naturæ, cœlestisq. qualitatis, quo congregantur omogenea ad generationem, conseruationemque mixtorum omnium. Frigiditas contra, cum sit veluti priuatio, habet etiam in agen-

agendo vim priuatiuã. Nam frigus congregat tam omogenea, quam eterogenea, constipatq. omnia, & vnumquodque reddit suapte natura immobile, ac veluti mortuum, vt ita dicam.

Etenim sicuti motus indicium est vitæ, ita immobilitas mortis, & interitus. Qua de causa supra diximus calorẽ collatum frigori habere rationem naturæ, & vitæ: frigus vero interitus. Per accidens tamen frigoris actiua vis facit ad operationem naturæ. Etenim cum calor non quilibet, sed temperatus varia pro rerum naturis operatione, fiat naturalis, & accomodus omnibus mixtorum generibus, quod latius infra explicabitur: huiusmodi temperatio nullius alterius vi fieri potest, præterquam frigiditatis. Ea namque sola calorem refrangit, ac temperat.

Item facta mixtione ex concoctione caloris naturalis massa tota vi frigoris constipatur & cogitur, sicque perficitur, & diutius perseuerat. Sæpenumero etiam vi frigoris circumquaque obsistentibus per antiperistasim calor cogitur in vnum, multaque & generat & concoquit. Qua de causa rigore hyemis, & niuium terra melius fermentatur coacto intra se calore, & frugum radices augentur, roburq. capiunt vberibus inde segetibus frumẽta proueniũt.

G 5 Insu-

Insuper alia quoque ratione frigus cõferatur ad rerum conseruationem ; quoniam vi frigoris arcetur calor extraneus à quo est corruptio, putrefactioq. mixtorum omnium.

Multis ergo modis per accidens tamen, & secunda quadam actione frigiditas plurimum facit ad naturę actiones. Quamobrem merito dicere valemus, frigiditatem quoque quodammodo esse instrumentum naturę, non primum, & per se, vt est calor, sed secundum, & per accidens.

De Humiditate, & Siccitate.

Caput Quartum.

POst frigus humiditas sequitur, & siccitas par alterum primarum qualitatum, quæ sunt inuicem contrariæ, vt caliditas & frigiditas, & maxime vi caliditatis : in resistendo tamen superat vim vtriusque, adeo vt nonnulli existiment, si in quopiam corpore fuerit humiditas coniuncta calori, aut frigori, si qua ab eo corpore humida fiant, non ab humiditate fieri eam actionem, sed a frigoris, calorisque vi ob

ob adiunctam sibi humiditatem: Aristotelesq. in exordio statim quarti Meteororum, si verba tantum spectentur, videtur hoc dicere, similique ratione produnt de exsiccatione.

Verum cum ratio & sensus conuincāt nos vt fateamur si fuerint duo corpora vicissim æqualia in calido & frigido, quorum alterum sit longe humidius altero, & maius mole, proculdubio humectari siccius ab humidiori. Contrarium namque omne in contrarium agit. Si potentius fuerit. Aristotelis vero dicta in eam sententiam sunt accipienda, vt calor exsiccet per resolutionem, & euaporationem partis aqueæ humide factam vi caloris. Parique ratione humefaciat per colliquationem partis aqueæ coagulatæ prius.

Sic frigus quoque exsiccat, & humectat, non quod humiditatem per se, aut siccitatem generet, sed quod vel vaporem in aquam cogit, aut calorem fugat, & exprimit, quem propria humiditas, veluti formam materia consequitur, pariterque euaporat. Sic ergo calor & frigus humefaciunt, & exsiccant. Per se autem humiditas humidum facit, & siccitas siccum. Vis ergo humiditatis in agendo non est admodum magna. In resistendo cōtra humiditas vim magnam habet: qua ratione quodammodo

rependitur debilitati infirmitatiq. eius in agendo. Humiditas vero collata caliditati eam vim habet, vt obtundat calorem, ſicuti contra ſiccitas acuit.

Qua de re aer quamuis nihil habeat frigiditatis, corpus namque ſimplex eſt, ac propterea nequeat vi frigiditatis calor in eo remitti. ob humiditatem tamen ſibi propriam longe obtuſiorem calorem habet quam ignis.

Obtundit igitur calorem humiditas: attamen vt infra dicemus, propria materia caloris, qua nutritur & ſeruatur eſt humidum. Inde euenit vt naturalis calor vim habeat trahendi ad ſe humidum, viciſſimque humidum vim habeat non attrahendi, ſed conſequendi calidum. Inter ſe namque ſe habent calidum & humidum, vt perfectio & perfectibile. Frigori collata humiditas non eo pacto eam obtundit quo calorem. Sed quoniam craſſiorem reddit frigiditatem, ac propterea parum idoneam penetrationi, idcirco non per ſe, ſed per accidens frigiditatem obtundit humiditas. Siccitatem vero humiditas formabilem facit, vt infra dicam. Per humiditatem namque corpora omnia facile terminantur termino alieno: proprio vero minime. Hæc de humore.

Sequitur ſiccitas: quæ minimã omniũ vim habet in agendo, maximã omiũ in reſi-

resistendo. Qua ratione vt in alijs: ita in sicco fit cõpensatio quædã viriũ. Vtrũq; experimẽto facile cõprehenditur. Nam si siccã rem quampiã, vt lignũ, marmor, pumicẽ proximã feceris rei humidæ vtique humiditas lõge citius afficiet lignũ, aut pumicẽ, quã patiatur ab eorũ siccitate. Facilius tamen humidũ illud corpus arescet, quã siccũ vertatur in aqueũ.

Hæ sunt siccitatis vires. Ideoq. siccum definiũt esse illud, quod terminatur proprio termino: difficile vero alieno termino definitur. Verum quidã hoc in loco dubitationẽ afferunt. Nam ignis siccissimus est tamen formatur, & terminatur facile termino alieno continentis inquã. Nonnulli summi viri quæstionem hanc ita soluunt: inqniuntque propterea siccũ ignis terræq. nõ terminari termino alieno, humidum vero aquæ & aeris facile terminari posse. Quoniã ignis licet possit dẽsari, rarefieri tamen amplius nequit.

Maxima etenim raritas omnium corporum est raritas ignis. Item terra quãuis possit fieri rarior, fieri tamen densior nequit: densissima namque omnium est. Contra humiditas aquæ & aeris possunt deduci in vtram partem volueris, vel scilicet ad maiorem raritatem, vel ad maiorem densitatem: ideoque terminabilis est alieno termino. Hanc ego solutionem non improbo.

Verum quoniam si recte diligenterque res dispiciatur, proculdubio videbimus non in eam sententiam definitiones illas humidi & sicci adductas esse: sed proculdubio referri ad formationē, & terminationem; quæ fit a continente. Ideo id addam. Siccitati suapte natura & per se conuenire, vt constipet corpus illud, in quo primo per se est, indeque efficiat, vt terminari queat, & definiri termino alieno: sed vt proprium terminum, suamque finitionem obtineat, alienam respuat. Sicubi vero sit siccitas non primo, sed per sequelam quandam, vbi id, quod primo inest illi corpori: obstiterit constipationi siccitatis: vel mirum si corpus id alieno termino terminabile est.

Quamobrem cum siccitas insit terræ vtique terram constipat, quæ cum à frigiditate adiuncta non disgregetur: in ea remanet id, quod est siccitatis, ideoq. non terminabilis, aut finibilis est terra termino alieno. In igne vero siccitas est secundario quasi assecla caloris. Etenim ignis primo, & per se calidissimus est, vt siccitas calorem acuit: ideo oportuit ignem esse siccum, non tamen a siccitate constipatur: immo ob caliditatem summam omnium corporum rarissimum est corpus igneum: ob quam causam etiam bene terminabilis est ter-

termino

mino alieno. Dicendum est igitur ad propositam quæstionem siccitatem per se facere constipationem, & per constipationem efficere corpus cui inest interminabile. Vbi ergo prohibetur constipationem facere, vt in igne, in quo calor eius qualitas maxime naturalis obstat, facere nequit corpus illud interminabile. Collata calori siccitas mirifice, quin potins omnium maxime calorem acuit. Est etiam siccitas admixta humiditati caloris ignei pabulũ, vt infra dicam. Frigiditatem autem siccitas non obtundit, quod si fecerit, eam magis penetrantem acuit. Humiditatem vero suapte natura fluidam cõtinet, & in vnum cogit. Hæc de sicco.

Illud vero in vniuersum admonendus est mihi lector corpus dici alio calidius frigiudiusue, aut humidius sicciusue, non simplici quadam, sed multiplici ratione. Nam interdum dicimus calidius id, quod est affectum maiori caliditatis gradu, interdum calidius dicitur esse aliquod, quod quamuis maiorem non habeat caliditatis gradum, habet tamen secundum quandam extensionem plus caloris: nam quoniam densius est, plus obtinet materiei, ideoque plus etiam formæ, quæ est in ea materia, obtinet secundum extensionem quandam huius qualitatis. Aliquãdo calidius

prop-

propterea dicimus, quia magis calefacit: quoniam ficcius: ficcitas namque calorem acuit.

Præterea calidius dicitur id, quod intra se, porosque suos plus continet corporis calidi: licet fortasse remissius caleat. Insuper id calidius dicitur, quod facilius potest calefieri. Amplius nonnulla sunt calida, quæ sensu percipimus frigere. Tamen si manducetur, intra nos calorem concipiunt, eumque interdum maximum, nosque mirifice calefaciant. Infra tangam huiusce rei caussam. Totidem modis frigidam, frigidiusue: humidũ humidiusue: siccum sicciusue dici solere omnibus perspicuum est.

Postquam satis accurrate à nobis exposita est natura quatuor qualitatũ primarũ, agendũ est sigillatim de quatuor elementis: prout sunt elementa mixtionis; primumq ab igne, exordiũ sumemus.

De Igne prout est elementum mixtionis.

Caput Quintum.

IGnis, vt supra dixi, natura calidissimus est, ac propterea siccissimus omni prorsus humiditate carens, quæ calorem obtundit. Item habet corpus omnium rarissi-

rissimũ, ac propterea parũ materiæ continet: habet etiã in se lumen: quãuis simplex, purusq. ignis non splendeat, vllũue lumen emittat ob maximã sui raritatẽ: Hac natura puri ignis, quem in propria spæra iuxta orbẽ lunæ credimus existere. Alibi ignis, quẽ sentimus, impurus est alijs corporibus immixtus & alienis qualitatibus affectus. Est tamen ignis, quia habet formam, & naturam ignis.

Ex proprietatibus ignis, quas modo recensuimus, iure ea sequi videntur, quæ sensu experimur inesse igni. Primũ quod ignis sit omniũ elementorũ maxime efficax ad agendũ; obtinet enim, maximeque naturæ suæ propinquã habet caliditatẽ; cuius in agendo efficaciã supra exposui, eamq. habet adiũctã siccitati, quæ veluti cos quædã est calorẽ acuens. Sequitur itẽ ignem minimæ resistẽtiæ esse tũ ob naturã caliditatis, cuius vim in resistẽdo supra diximus esse omniũ minimã, tũ ob maximã raritatem, paucitatemque materiæ. Nam forma materialis omnis sustinetur à materia, neque resistit corrumpenti, nisi quatenus materia ei subiecta non vincitur ab alienis substantijs. Paucissima vero materia, & rarissima, quæ ob raritatem suam dispersa est, ac totam se exponit iuribus agentis omnibus; quod non faceret si in se constipata esset & collecta, facile

vinci-

vincitur, & corrumpatur vi corporis alieni.

Non ergo mirum videri debet si ignis præ alijs elementis omnibus sit iniuriæ, & corruptioni expositus. Leuissimus etiam est, & rarissimus: qua de causa contineri non potest ne euolet ad superas oras.

Ex omnibus his facile illud sequitur, quod ita esse experientia nos docet: ignem scilicet apud nos existentem, præterquam quod est impurus, non posse tamen per se manere, diutiusque constare, sicuti constat terræ gleba, aquæ situla, aerisque portio quæuis: sed confestim euolare, ideoque statim corrumpi, & intercidere, ac propterea fieri, vt ignis indigeat continuo nutrimento, ex quo possit continuato tenore generari, atque fluere, veluti ex quodam fonte, ex quo in sublime, vt fluuius quidam feratur, pauloque post intercidat ab aere, alijsue corporibus alienis corruptis ob sui tenuitatem, atque in resistendo imbecillitatem.

Proximum ignis elementum est vapor aereus, præsertim si immixtus fuerit terrestri siccitati, seu terreæ exhalationi: vi ergo ignis a combustibili corpore resoluitur vapor istiusmodi, qui statim correptus ab igne flamma efficitur. Hæc ab eo fonte, vbi vapor ille resol-

resoluitur, fluit continuato lapsu, ad supernaque euolat, ac confestim intercidit. Ignem hunc impurum hoc pacto tantum apud nos existere, neque alibi purum ignem inueniri, atque consistentem præterquam in propria sphæra impossibile est. Quamobrem cum ignis adeo sit expositus corruptioni, & iniuriæ: natura omnium parens solertissima plures modos, viasque adinuenit, quibus ignis generari potest. Nam & ab igne ignis generatur, & a radijs Solis coeuntibus in vnum, vt fieri videmus à speculis concauis, à quibus radij reflexi in vnum punctum coeuntes ignem generant, resque in eo puncto positas inflammant. Item rarefactione, & disgregatione aeris, siue motu quopiam, siue contritione quadam corporum solidorum rarescat, confestim generatur ignis: quæ ratione certa accidant. Nam lumen qualitas cœlestis proxima est calori, ideoque caliditatem generat. Ad caliditatem autem intensiorem sequitur forma ignis, sicuti ad propinquissimam dispositionem. Item rarefactionẽ sequitur caliditas: sese etenim vicissim comitantur raritas & caliditas. Quare sicuti ad caliditatem illico sequitur rarefactio, ita contra ad rarefactionem sequitur caliditas: cam ignis consequitur.

His

His ergo tribus modis ignis apud nos generatur, qui statim generatus perit, nisi habeat nutrimentum, ex quo semper nouus ignis prodeat, affectus tamen qualitate illius nutrimenti, id est vaporis aut exhalationis ex qua fit, illique semper immixtus fluit. Hinc fit, vt apud nos variæ ignis species tum colore, & aspectu, tum viribus diuersæ.

Hinc fit etiam, vt magnus ignis paruum extinguat, aut imminuat; quam ob causam ligna incensa, lucernæque ardētes æstate, & sub sole positæ diutius durent, quam per hymem, & in vmbra. Hinc fit vt interdum ignem aqua non extinguat, quem tamen extinguit oleū alioquin idoneum, vt accendatur, & inflammetur, Aliquando acetum id faciat, quod aqua nequit.

Hinc fit, vt sub cinere conseruentur prunæ, quæ rebus alijs obrutæ extinguuntur: aeri vero expositę penitus consumantur, & redigantur in cineres. Hinc metalla liquefiunt interdum ab igne exiguo, quæ à feruentissima aqua liquescere minime possunt.

Hinc est, quod calore leuiore solis offuscātur corpora, quæ tamen ignis nō offuscat. Inde fit, vt cadauer totū vi ignis non queat absumi, & in cineres resolui, quin aliquid reliquū fit; inclusum tamen sepulchro cōfecto ex lapide Sarcophago bre-

breui tēporis spatio totū in cineres redigatur. Horū omniū causæ petēdæ sūt ex ijs, quæ diximus de nostrate igne. Nā cum alimēto cōtinuo egeat ignis, & fontem, a quo profluat; nil mirum si magnus ignis vi sua abrepto, & consumpto fomento exigui ignis ipsum extinguat. Item cum ignis exiguus fonticulus sit corpus quoddam immixtum vapori, & exhalationi, totus fit veluti pabulum maioris ignis, ideoque ab eo consumitur, & euanescit.

Eadem prope ratione cum per æstatē, & sub Sole, vis ignis ob eam quam diximus causam flaccescat, nil mirū si minus consumit & vrit. Ignis quoque suapte natura lucidus magis, minusue immixtus atro fumo diuersas refert coloris species. Viribus quoque diuersæ sunt ignis species pro subiecti varietate, & materiæ. Plurimum namque refert an inflammata, ignitaq. materia densa sit an rara, siccior an humidior, an poros latos habeat multosque, an arctos, & paucos. Quod aqua quandoque ignem non extinguat, oleum vero extinguat in causa est, quod aqua, quia fluida est, interdum non attingit ignis fonticulum, sed præterlabitur, aut si attigerit cito defluit, oleum vero lentius & tenacius, non ita labitur; sed obturat ignis fonticulum, adeo vt profluere ignis nō possit,

con-

consumptoque exiguo illo nutrimento confestim flaccescat, & extinguatur.

Acetum autem tum ob frigiditatem, tum quia partes aliquas acutas habet, præcipue si fuerit mixtum oleo, cuius lentore detineatur, potius est aqua in extinguendo ignem.

Prunæ vero cinere tectæ conseruantur: quoniam cinis rarus est, adeo vt per intermedios cineres efflare queat vapor, fumusque igneus prunarum, qui cum crasso densoque corpore tectæ fuerint prunæ, coactus in vnum absumpto momento fere temporis alimento proximo, seipsum conficit. & interimit; sicque extinguitur. Aer etiam frigidus ad contectas cinere prunas penetrare non potest, atque ignem extinguere. Nec nõ prohibetur nimius defluxus vaporis igniti a cineribus. Quas ob causas prunæ cinere contectæ conseruantur.

Metalla liquefiunt ab igne, non autem ab aqua etiam feruentissima quoniam aquea sunt, æque igitur ab aqua patiuntur. Amplius partes aquę calida crassiores subire nequeunt poros metallorum arctiores, ita vt totam massam subeant, ac ita dissoluant: ignis vero siccior & magis agit in contrariam materiam & etiam per poros vndique penetrat, massam metalli, eoque pacto

facile

facile dissoluit. Vnde calor quoque Solis, seu aer a Sole calefactus subit tenuissimos cutis poros, resolutoque poro cuteque exsiccata fuscos reddit. Ignis vero, qui est in crassiori materia offuscare non potest.

Consimilis prope est caloris vis in lapide Sarcophago, quo cadauera tota resoluuntur in cineres. Varia ergo vis ignis, diuersæque species ob diuersam materiam, in qua est.

Sed vt tandem redeam vnde diuerti: ignis collatus cæteris elementis mixtionis se habet vt agens, & vt forma: cætera vero, vt materia, & vt patiens. Nam proprium ignis, quia calidissimus est, est componere & congregare omogenea alienaque ab eis separare. Hoc autem pacto necesse est vt fiat mixtorum corporum generatio, vt scilicet vi agentis ea in vnum componantur, quæ naturę mixti conueniunt: aliena vero abijciantur & secludantur. Est etiam, vt dixi veluti forma aliorum elementorum miscibilium: nam vi caloris seu ignis continentur in vnum ea, quæ sunt inuicem composita, & commixta: vt inferius lucidius explicabitur.

De

De Aere Aqua & Terra, prout sunt elementa mixtionis.

Caput Sextum.

AEr ignem sequitur, qui medius est inter elementa duo quæ præcipue pertinent ad materiam mixtorum corporum, & ignem, qui est veluti forma Etenim aer sui humiditate interdum temperat Siccitatem ignis, interdum longe etiam imminuit. Nam quorundam mixtorum generatio, itemque digestio quædam & concoctio fit à calore sicco per modum cuiusdam assationis: quædam vero fit à calore humido per modum cuiusdam elixationis.

Aer igitur humiditate sibi insita temperare ignis siccitatem potest, sicque ad formam pertinet. Ad materiã item non minus aer pertinet, quam ad formam immo fortasse longe magis. Nam quoniam ignis fomento indiget, vt supra dixi, terra autem & aqua cum sint maxime frigida: proculdubio præcipue sunt igni contraria: quamobrẽ nisi prius molliantur, ignis partem propinquam extinguent non nutrient. Indigent ergo alterius corporis ope, vt igni præstare fomen-

fomentum queant: id vero aer commodissime facit. Nam innata caliditate temperat vtriusque illorum frigiditatem adeo vt terra, aquaque aeri immixtæ, compositæque pabulum suppeditent igni, quo foueatur & conseruetur.

Tenuitate etiam aeris massa terræ & aquæ compacta fermentatur adeo, vt vis ignis totam queat permeare, & conquere. Aqua vero & terra sunt materia mixtorum omnium corporum perfectorum, eorum inquam, quæ habent formam mixti corporis, per quam in propria specie constituantur.

Etenim sine magna terræ copia nullum corpus constans esse posset: sed diffiueret, passimq. in minutissimas partes diduceretur, ob vim eorum quibus occurreret: nullum item terminum seu finitionem propriam haberet. At terræ partes sine aqua inuicem hærere minime possent, sicuti farinæ ramenta sine aqua nequeunt inter se hærere. Ad compactionem ergo mixti opus est aqua, & terra. Amplius aer terræ per se misceri minime posset, nisi aqua quasi medio quodam, & veluti internuntio conueniret cum terra. Per se autem neque etiam fingi posset qua ratione aer terræ misceri valeret.

Amplius præterquam quod corpu ex aqua & aere compactum sine terr nequiret per se constare: duo ea elementa cum sint maxime humida, no præstarent pabulum igni conueniens quo ali posset. Sicuti ergo caliditat aeris temperatur aquæ & terræ frigiditas: ita siccitate terrę temperatur aqu & aeris humiditas, hocque pacto p ratur fomentum igni, quo ali possit, sustentari. Rationi experientia conco dat. Nam ea mixta corpora, quæ su aerea, & terrea, sunt etiam aptissim vstioni, facillimeque comburi possunt Hæc tetigisse de elementis pro mod huius libelli satis sit, prout apta sunt mi tioni, & mixtionis elementa appellar queunt. Nunc ad differendum de mixtione accedamus.

De Mixtis perfectis, imperfectis, & aliquibus ad mxtionem pertinentibus.

Caput Septimum.

Mixta ex elementis duplicia sunt: quædam enim sunt imperfecta mixta

mixta, nonnulla vero perfecta sunt. Item perfecta mixta duplicia. Etenim nonnulla prima statim compositione componuntur ex elementis. Aliqua vero secunda, tertiaue, immo quarta, & pluribus compositionibus ex eleméntis constituuntur.

Mixta imperfecta ea appello, quæ non habent aliam substantialem formam, per quam sint, præter elementorum ipsorum formas. Huiusmodi vero imperfecta mixta duobus modis fiunt, duplicisque generis sunt. Nam illorum quædam vnius tantum elementi formam habent, aliorum vero elementorum qualitate, & affectionibus impurata sunt, & affecta: nihil vero, aut admodum exiguum aliorum elementorum in eis est immixtum: sicuti aqua maris salsa, item cinis, rores, pluuiæ. Nonnulla vero imperfecta mixta ex pluribus elementis constant in vnum coactis: non tamen formam aliam substantialem mixti habent. Sed sunt veluti quædam congeries elementorum inuicem compactorũ, impuratorumq. Prior mixtionis modus consimilis est illi mixtioni, de qua Aristoteles mentionem facit in primo libro de generatione & corruptione. Inquit enim in mixtione corporum interdum vnum eorum tantum conseruari, alterum vero euanescere,

scere, sed tantum affectionem quãdam, & qualitatem eius remanere, qua prius illud quod constat, & conseruatur, sit affectum: sicuti ex duobus metallis interdum mixtio quædam fieri solet, qua vnum euanescit, alterum verum remanet colore prioris intinctum. Non dissimili ratione mare salsum est ob mixtionem terrestris partis adustæ, quæ tamen potius aquam inficit, quam iusta mixtione cum aqua misceatur. Sic sunt pluuiæ aqua quædam infecta, & impura.

Alterius generis mixta imperfecta ob mixtionem aliorum elementorum non tantum suam speciem retinentia insiciuntur: verum etiam cum alijs compacta quoddam tertium efficere videntur, licet re vera ibi non sit, nisi quædam elementorum congeries inuicem compactorum. Huius generis, vt puto; sunt grandines, niues, pruinæ. Mixtaq. huius generis fiunt plerunque vi frigoris. Nam proprium frigoris est congregare eterogenea; contra caloris natura est eterogenea disiungere, & separare.

Post mixta imperfecta sequuntur mixta perfecta in quibus propter mixtionem, variamque inter se mixtorum corporum alterationem, refractis elementorum formis, ac propterea secun-

ſecundum eſſe ſubſtantiale corruptis emergit forma mixti media, qua tota illa maſſa vnum fit quoddam præter elementa, ſicque ſecundum ſubſtantiam etiam elementa miſcentur, ita tamen, vt cuiuſque forma magis infixa ſit in ſua priori materia, quam in aduentitia. Ideoque facilius ad priſtinam naturam elementi commutatur, quam ad alteram.

In mixtis hiſce perfectis cum elementa coæquata eſſe oporteat, maximaque ſit vis ignea, omniumque præcipua, portio ignis mole alijs eſt minor: eadem prope ratione portio aeris non eſt mole admodum magna. Huic adde, quod conſtare non poſſent, ſed ſtatim dilaberentur, ſi mole aer & ignis terram aquamque ſupeperarent.

Terra etiam in mixtis omnibus, quæ conſtantia ſunt, non fluida ſuperat aquam mole; quamobrem Ariſtoteles dicit in ſecundo Libro de Generatione, omnia mixta ſupra terram conſiſtentia eſſe terrea mole, ſcilicet magnitudine partis terreſtris ex qua conſtat.

Nonnulla etiam aquea ſunt, vt reor ego, ea inquam quæ fluida ſunt, vt lac, ſanguis, huiuſmodiq. alia in his præſertim animalibus quorũ ſanguis fibras

non habet. Verum pro diuersa natura mixtorum corporum diuersæ sũt etiam elementorum portiones tum mole, tum mixtione, & temperatura: necnon etiam raritate & densitate, alijsque huiusmodi. Quo fit vt formæ elementorum corrumpi queant, non vnu tantũ modo alterationis, vt sit necesse vnum tantum modum mixtorum fieri: sed longe diuersis, & pro alterationum diuersitate, mixtura, seu complexione & nexu elementorum inuicem, item mole, & modo substantiæ, fiunt mixtorum diuersa genera.

Horum ratione exposita accedamus ad rationem explicandam, qua & generentur mixta omnia perfecta & corrumpantur. Superius, cum exponeremus vim qualitatum omnium primarum, diximus calorem & frigus qualitates esse actiuas: contra vero humiditatem & siccitatem passiuas: non tamen ea de causa, quod hæ duæ posteriores non agerent, siue quod priores duæ non paterentur: sed quoniam in generationem mixtorum corporum, eorumque mixtione, duę posteriores qualitates humidum scilicet & siccum, seu, vt rectius dicamus, corpora hisce duabus qualitatibus affectà ex natura & vi harum duarum qualitatum inuicem componerẽtur, & miscerentur. Contra vero

vi

vi caliditatis, ac frigiditatis fieret eorum inuicem mixtio, & coniunctio: quod patere liquido poteſt ex harum qualitatum definitionibus. Nam calor eſt cuius vi congregantur omogenea; frigus cuius vi congregantur tum omogenea, tum eterogenea. Humidum vero quod facile terminabile eſt termino alieno. Contra ſiccum id eſt, quod difficile termino alieno definitur, ſuo vero facile.

Cæterum a qualitatibus ad elementa deueniamus, in quibus he vigent qualitates, & quorum eſt mixtio. Cum terra, aqua, aer, ignis inuicem miſcentur, ex hiſque mixta corpora generantur, mixtionem eam primo, & per ſe fieri non poſſe, niſi vi corporis calidi ignis inquam. Si prima fiat elementorum mixtio, ſeu corporis ignei: ſi ſecunda, tertiaue, aut aliæ deinceps fiant, & ratio, & experientia nobis perſuadet. Nam ſi debeat fieri mixtio accommodata naturæ cuiſpiam mixti, neceſſe eſt, vt ea inuicem componantur, quæ conueniunt naturæ illius mixti corporis: aliena vero ſeparentur, At hoc caloris proprium eſt. Congregat etenim calor omogenea, aliena ſeparat. Frigus vero omnia indiſcrete conſtipat, & in vnum aceruum cogit.

Qua de re cõſtat frigus ineptiſſimum

esse, vt primo, ac per se eius vi fiat mixtio, generatioque mixtorum corporum.

Amplius commode mixtio fieri nequit, nisi miscibilia corpora diuidantur in minutissimas partes, ac deinde inuicem partibus illis minutissimis vniantur; Separatis paulatim alienis, & mixtioni illi ineptis. Id vero fieri non potest, nisi per concoctionem quandam.

Omnis autem concoctio est à calore, & à corpore calido. Item actio vera, & generatio vera, quæ est ad formam, debet primo, & per se attribui illi qualitati, quæ se habet vt habitus, & forma: ei vero quæ se habet vt priuatio, attribui non potest, nisi per accidens, & secunda quadam intentione. Sed caliditas si conferatur frigiditati, se habet vt habitus, & perfectio: frigiditas vero vt priuatio. Igitur per se, & primo frigiditati, adscribi nequit mixtorum corporum generatio.

Item supra diximus primum instrumentum, & natura proximum cælesti tepori, in quo est magnum, omnium seminarium, vt Platonici dicunt, esse caliditatem; experientia rationibus hisce attestatur.

Nam quotcunque mixtorum generationes fieri sensu prospicimus, eas omnes

omnes videmus fieri per concoctionem quandam vi caloris. Quin omnes mixtiones, quę artificijs quibusdam fiunt, quæ sunt quam plurimæ, calore ad ibito, & per concoctionem quandam fieri experimur. Neque vllus artifex, seu pharmacorum, & esculentorum, poculentorumque confector, seu metallorum compositor quidpiam mixtionis attentaret, ex qua noua complexio, nouaque massa fieret, si adimeres eis vsum ignis.

Vi igitur caloris primo, & per se fiunt generationes mixtorum omnium. Nihilominus secunda quadam intentione etiam frigori attribui potest mixtorum corporum generatio. Nam præterquam quod calor non efficitur proprius, & naturalis, vt infra dicemus, nisi temperamento quodam certo, quod efficitur mixtione frigoris, vt infra dicam, in concoctione, mistioneque ipsa necesse est sæpenumero, id fieri a natura, quod fieri conspicimus à fabris ferrarijs, qui vt ferro, ex quo ensem, aut hastæ cuspidem efficere volunt, certum temperamentum adhibeant, quamuis per se primo vtantur vi ignis; tamen certis interuallis id ferrum, quod voluunt in fornace forcipe, & malleis tundunt, aqua frigida intingunt.

Sic natura frigefactione interdum, preparat materiam, quæ, nisi id fieret, inepta esset illi temperamento, mixtionique illi, quam vult efficere, idque sępenumero facere more fabri verisimile est.

Amplius post concoctionem, & mixtionem perfectam totam eam massam frigiditate constipat, & cogit, cum id exegerit illius mixti natura, vt in metallis factum esse conspicimus. Generatio ergo mixtorum omnium calori per se primo est atribuenda, & igni, qui fons est caloris cuiuscunque: Itemq. aeri, vt efficientibus: terræ vero & aquę, vt materiæ.

Verum cum calor sit causa generationis mixtorum, quæri potest quęnam sit causa corruptionis horum mixtorũ, quæ caloris vi generantur. Possetque alicui videri frigori attribuendam esse corruptionis causam. Nam contrariorum contrariæ esse videntur causæ. Cõtra vero esse videtur efficax ratio. Nam sicuti generatio mixtorum fit per compositionem quandam: ita corruptio fit per resolutionem, & separationem corporum componentium mixtum: At frigus semper congregat, & constipat omnia, tum omogenea, tum eterogenea: igitur per se a frigore resolutio & separatio esse nequit.

Quam-

Quamobrem neque etiam mixtorum corruptio attribui potest frigori primo & per se. Verum frigus primo, & per se si caloris actionem impediat nimia sui vi immixti cuiuspiam factione, generatim succedere non finet. Hoc pacto impedit etiam frigus digestionem, seu concoctionem caloris, & indigestionem, cruditatemque facit. Cui igitur primò, & per se attribuenda erit mixti corporis dissolutio & corruptio? Perspectum est cuique acutius inuestiganti nulli attribui posse dissolutionem præterquam calori.

A calore ergo mixta generantur, & componũtur: item à calore mixta dissoluuntur, & corrumpuntur. Atqui fieri potest, vt ab eadem causa prodeant effectus contrarij per se primo? Nimirum minime omnium. Ex hisce efficitur alium esse calorem à quo est generatio item alium eum, à quo est corruptio, & dissolutio mixti corporis. Priorem dicimus naturalem, & proprium posteriorem alienum & extraneum. Fiunt autem hi calores, seu hæc corpora calida diuersa ob mixtionem frigiditatis, seu humiditatis, siccitatisue, aut ob maiorem, minoremue illius calidi copiam, quam par sit: seu densatione, ut rarefactione nimia.

Sicuti ergo quadam certa temperie

calor, corpusue calidum fit naturale: nunc etenim in hoc sensu vtimur caloris nomine: ita diuersa temperatura fit calor extraneus & alienus. Duoque hi calores inter se pugnant, alterque ab altero dissoluitur: resoluto, seu extra naturæ limites affecto naturali calore a calore extraneo mixtum corrumpitur. Nam forma mixti primo inest calori naturali, ac per eum continet reliqua elementa omnia inuicem mixta. Euanescente forma, resolutoq. calore humidum, aqueum, aereumque simul euaporant: est enim caloris fomentum, & materia. Terrea pars demum dispergitur & dissoluitur in cineres. Calor autem extraneus calorem naturalem corrumpit, seu resoluit duobus modis per putrefactionem videlicet mixti, aut per exustionem.

Putrefactio corruptio est caloris naturalis à calore extraneo in humido. Necesse est ergo, vt in putrefactione post inmutationem caloris naturalis humidum remaneat aliquantisper, neq; statim resoluatur.

At in exustione simul cum calore naturali resoluitur humidum o euanescit. Quamobrem plerunque putrefactio fit à calore extraneo humido, non admodum vehementi. At exustio contra fit vi caloris sicci vehementis. Quo fit, vt quo-

quoniam natura sensim res mixtas infirmat, & ad interitum ducit, nihilque violenter agit: vt corruptio naturalis cuiusque mixti fiat putrefactione quadam. Quod etiam perspicue ostendunt & senectus animaliũ, & exsiccatio plantarũ. Nam harum vtraque via est quædam ad putrefactionem. Qua de re coniici facile potest naturã ducere res mixtas ad interitum per putrefactionẽ.

Satis expositum sit hactenus de calore extraneo. Redeamus ad calorem naturalem, vi cuius supra ostendimus mixta corpora generari. Dubitare quispiam potest non in merito, cum calor naturalis sit pars corporis mixti, quin potius cum forma mixti primo insit calori naturali, ac per eum contineat reliqua elementa, prima & præcipua pars est mixti: agens vero & materia idem numero esse nequeat, nihil etenim seipsum format & efficit: quo ergo pacto dici potuit mixta generari à calore naturali?

Vt hanc quæstionem diluamus, illud est animaduertendum; non omnino dissimilem esse generationem corporũ mixtorum à generatione animalium, plantarumque, quanuis in plurimis dissideant. Nam sicut in animalium generatione est quędam certa materia in qua inducitur anima, quę primo inexistit

parti-

participaturq.à calido naturali, sibiq; suo proprio, ac per eum membra format: ita in generatione mixti corporis est forma, quæ inducitur in sua materia, & primo inest in calido naturali.

Item quemadmodum in generatione animalis præter calidum, in quo est anima, existit etiam semen, in quo est vis generandi animal a parente deducta: ita in generatione mixtorum omnium, est qualitas cœlestis, in qua veluti in quodam magno seminario est vis generatiua mixtorum omnium deducta à corpore cœlesti, & a mentibus illis cœlorum motricibus. Hac vi veluti quadam arte a suprema illa arte deriuata, & dispensantur elementa in mixtorum generatione & forma mixti inducitur. Etenim si hoc pacto nobis fingamus mixta generari, non arbitror longe nos à veritate aberrare.

Coeunt in vnũ elementa in mixtis, quę prima mixtione ex elemētis fiunt, viq. hac cœlesti pro qualitate materiæ, & loci partes maiores, minoresue, densiores, rarioresue, varia etiã alteratione impuratæ in vnũ coeunt, inuicemq. alterantur & cõponuntur. Ita tamen vt vis ignea, eiusq. elementi pars sit veluti organum primum cęlestis qualitatis. Sicque cum omnia vicerint, victaque sint iam concocta, & in vnum mixta vi cœlestis

qua-

qualitatis. & complexio & forma mixti inducitur, quæ primo recepta in calido proprio, ſeu in parte ignea deriuatur ad alia elementa.

Hoc pacto vi caloris naturalis fit mixtio, & concoctio, & in calore naturali forma mixti recipitur à cœleſti qualitate omnium effectrice. Si vero mixtum fiat ab elementis non prima mixtione: ſed ſecunda aut tertia, quartaue compoſitione, idem propemodum dicendum eſt. Nam vicem ignis obtinet corpus igneum, quod propriam complexionem habebit accommodam mixto corpori generando: vicem terræ, & aquæ corpus mixtum craſſius, ſic vicem aeris item corpus mixtum aereũ. Viciſſim igitur agent, patienturque hęc corpora, fietque ex illis mixtum tertium in qualitatis Cœleſtis corruptis prioribus formis mixtorum, non refractis, eo quod imperfectiora illa, prioraque mixta non ſunt elementa, aut materia poſterioris.

Sed quoniam hoc vtitur ordine, huncque ſeruat tenorem natura, vt ab extremo ſenſim producat rem omnem ad extremum aliud non ſtatim, & repente, inde effectum eſt, vt & in generatione animalium, eorumque nutritione non continuo ex elementis, aut ex inanimis etiam animal perfectum generet;

ret;

ret: verum multa media posuit imperfecta in quibus tamen non sistit, sed per ea animal perfectum facit.

Etenim in libris de generatione animalium Aristoteles dicit quod animal prius viuit vita plantæ, forma scilicet quadam imperfecta, in qua non sistit natura: vim tamen habet ea forma vegetandi, deinde ea exuta viuit animalis, in qua prior forma est virtute, & potentia: tandem viuit vita bouis, aut asini, ad perfectumq. peruenit, & in ea natura sistit. Sicque in corrumpendo animal non confestim resoluit illud in elementa: sed sensim agit per formam cadaueris, cæterasque nobis non notas. In nutritione autem vtitur natura mixtis alijs perfectis, vt fructibus, frugibus, animalibusque ad animaliũ alimentum.

Non dissimili ratione existimandum est, naturam operari in mixtorũ corporum perfectorũ generatione, licet media, per quæ natura procedit in his obscuriora sint, quam vt à nobis sciri, aut dici potuerint: attamen in metallorum generatione nullus ambigit, quin omnia fiant ex argento viuo, & sulphure.

Hoc igitur pacto mixta fiunt a proprio naturalique calore. Si quis vero, vellet asserere, quod præter corpus illud calidum, quod remanet in mixto corpore, postquã generatum est mixtũ, aliqua

aliqua etiam eius portio, qua, vt agente, instrumentoque proprio vsa est cœlestis qualitas, remaneret, neque mixtionem ingrederetur, & postea euanesceret, vel aliud quodpiam ex eo fieret à natura: vt de spiritu, & calore existente in semine maris Aristoteles dicit, postquam eius vi generatus est fœtus, vt reor, neque euidenti argumento improbari posset, neque ipse positionem suam posset adstruere efficaci ratione.

Explicet Liber Tertius.

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE LIBER QVARTVS.

De Actionibus Caloris Naturalis & primum de Concoctione, & Maturatione.

Caput Primum.

SATIS à nobis exposita fuisse ratio videri potest mixtionis,& generatio mixtorum omniũ vniuersali quadam doctrina. Id etenim instituti nostri fuit, quemadmodũ in exordio statim diximus tractationẽ scilicet nos facturos de elementis, & de elementorũ mixtionibus in vniuersũ ita, vt oratio nostra consisteret citra formas metallorũ, & lapidũ proprias, iteq. citra

citra naturas proprias partium similariũ: ex quibus constant animalia & plantæ.

Verum quoniam generatio mixtorũ fit vi caloris naturalis, corruptio cõtra vi caloris extranei: itemque mixta omnia perfecta fiunt ex terra & aqua, tanquam ex materia, quorum alterum est siccissimum, alterum humidum valde, & fluidum: nihil mirum tractatio hæc imperfecta videri, haberiq. iure posset, nisi à nobis exponerẽtur tum actiones caloris naturalis sigillatim, tum accidentia illa, quæ cõsequuntur mixtionem, quorum quædam tangibilia sunt, & ad passionem, impassibilitatemq. mixtorũ referuntur, alia ad actionẽ in sensus alios præter tactum accommodantur. Nam qualitates primæ, illæque quæ eas sequuntur, quibus mixta sunt affecta, sunt tactiles qualitates: vt sapor, odor, color, quibus præponenda est complexio, quoniam mixtioni propinquissima est, statimque ex qualitatibus primis conflatur, earumque vim maxime obtinet. Nemo ignorat operationes caloris naturalis proprias esse concoctionem, seu digestionem, maturationem, elixationem, & assationem, non quidem illas tantum, quæ fiunt arte; sed eis consimiles à natura facta.

Cõcoctio, seu digestio, vt Latini auctores dicunt, est perfectio, a proprio, naturæ

tura

turalique calido ex oppositis passiuis: quæ definitio adaptari potest ad terminum concoctionis: tunc enim perfectio inest passiuis elementis, seu mixtis vicem elementorum præstantibus, cum fuerint concocta vi caloris naturalis,

Potest etiam hæc definitio referri ad motum ipsum, quo fit concoctio, & digestio, ad quem si referatur, dicenda est esse perfectio: quoniam est via ad perfectionē. Motus namque, est eiusdē speciei, cuius est ipsius terminus. Quāuis autem, & humidum, & siccum concurrant, vt materia ad concoctionē, propior tamen materia concoctionis est humidum, quam siccum. Illud etenim quod interminatum erat, concoctione terminatur, & eo veluti medio siccum mollescit, sicque inuicem miscentur.

Maturatio proprie est digestio alimēti in *fructibus*: etenim tunc fructus maturi dicuntur, & sunt, cum in fructu alimentum concoctum est. Per metaphoram vero quandam multa etiam alia matura dicuntur per concoctionem quandam: quorum nonnulla esui, potui alia, expulsioni alia apta fiunt: tuncque dicuntur digesta, & matura.

Animaduertendum hoc in loco est omnem digestionem, itemque maturationem per se fieri à calore: à frigore vero

vero fieri per accidens tantum. Item notandum est per se id quod digestum primo, & maturatum est crassius fieri per digestionem. Horum vtriusque ratio satis euidens est, & in promptu. Nam maturatio digestio quædam est. omnis autem digestio est concoctio, seu per concoctionem fit, quæ proculdubio per se est à calore. Item digestio perfectio quædam est, calor vero per se principium est perfectionis, & generationis: sicuti contra frigiditas est per se principium interitus: per accidens autem frigiditas facit ad digestionem. Tum quoniam digestio fit à calido naturali, quod definitione quadam & remissione fit naturale. Remissio vero caliditatis per frigiditatem fit. Item frigore in vnum cogitur calor, & fit validior per antiperistasim.

Præterea sæpenumero accidit, vt massa mixtorum non sit apta certi generis concoctioni, nisi prius passa fuerit a frigido. Idque sæpe a natura fieri supra diximus more fabrorum, qui ferrum cudunt, & temperant. Accidit etiam in multis mixtis, vt post completam digestionem à calido frigiditate afficiãtur pro cuiusque natura, & ob eam causam frigidiora apparent post digestionem sanguinis, est tamen frigidius sanguine.

Quam-

Quamuis alia etiam ratione contingere posset, vt post digestionem a calido factam, ea tamen res à digestione perfecta frigidior euaderet, per ablationem inquam partis calidioris: Nam vi caloris naturalis, & proprij sicuti in vnum conflantur omogenea, idest apta naturæ illius generis mixti: ita extranea separantur & amouentur: Itaque amotis partibus calidioribus, quæ extabant in materia generationis mixti frigidioris naturæ id, quod remanet, quamuis calore sit concoctum non frigore; frigidius tamen erit sua ipsius materia ex qua confectum est. Ex his satis perspicue reor apparere digestionem, maturationem omnem per se primo fieri à calido, non autem à frigido, nisi per accidens.

Quod vero omne id, quod primo digestionem, maturationemue recipit, fiat crassius euidenti ratione ostenditur. Nam id quod primo recipit digestionẽ est humidum, eoque veluti medio siccum terrestre mollescit, & fit mixtioni idoneum: humidum vero propterea concoctionem, & maturationem recipit, eo quod vi caloris miscetur terreo. Quare sequitur id quod primo maturatur, & digeritur, humidum scilicet propter admixtionem terrestris partis, necesse esse vt efficiatur crassius. Quod

si

ſi qua mixta poſt digeſtionem ſubtilio-ra facta eſse videantur, hoc vtique non fit diuerſa ratione ab ea, quam ſupra expoſui, per amotionem ſcilicet partiū terreſtrium, & mixtionis, digeſtioniſue generi non accommodatarum.

De Elixatione, & Aſſatione, ac poſtea de actionibus caloris extranei.

Caput Secundum.

POſt expoſitam digeſtionem, & maturationem accedamus ad alias caloris naturalis operationes, quæ diuerſæ ſunt & naturam paſſiuę qualitatis cō-iunctæ calori naturali, à quo digeſtio fit. Nam talis ille calor, vel eſt humiditati coniunctus, aut ſiccitati; Si humiditati coniunctus eſt calor ille, ſic ab eo fit digeſtio per modum elixationis; ſin vero coniunctus fuerit ſiccitati fit digeſtio per modum aſsationis.

Hę vero plurimorum, diuerſorumque generum ſunt pro intenſiori, aut remiſſiori humiditate, ſiccitateue. Quæ omnia

natura

natura temperat insita diuina arte, quã intellectus humanus ad vnguem attingere nequit: sed generali quadam notione mira hæc naturæ opera scrutatur, & cognoscit. Sicuti vero à frigiditate impedita digestione indigestio fit: ita impedita maturatione sequitur cruditas dicta in fructibus proprie, in alijs secũda quadam significatione. Impedita vero elixatione & imperfecta sequitur dispositio, quam Græci & Aristoteles inquinationem appellant, cum scilicet à caliditate humida in re elixanda motus humor aqueus interminatus adhuc, & imperfectus se ipse cogit, simulque poros constringit, in quibus imbibitus, & coactus est, sicque elixandæ res fiunt duriores, quam fuerint, antequam elixari inciperent. Assationem imperfectã sequitur dispositio quam latino vocabulo nescirem ego explicare Græci appellant Stateusim.

Hę actiones sunt caloris naturalis. Caloris vero extranei operationes singulæ à nobis non ita perfectæ cognoscuntur, quoniam pertinent ad corruptionem & interitum: sed genere quodam duplices sunt: putrefactio inquam & exustio. De quibus satis sint ea, quæ superiore libro sunt exposita.

Nunc tempus est, vt paucis percurramus differentias, quibus corpora

mixta

mixta omogenea humida, siccaue differunt inter se. Primumq. exordiemur ab ijs qualitatibus, quas passiuis affines, coniunctasque consueuimus appellare ob id quod per eas corpora omogenea apta vel inepta sunt aliquo passionis genere. Accedamus deinde ad complexiones, & qualitates eas quibus agunt, passionemque sensibus ingerunt.

De coagulatione, liquefactione, & crassatione.

Caput Tertium.

SVmemus autem exordium à coagulatione, & liquefactione, à quibus etiam Aristoteles in quarto Meteororum orditur, quoniam corpora omnia tam dura quam mollia consistunt & consta(?)a sunt quadam coagulatione.

Coagulatio omnis fit exsiccatione quadam: sicuti contra liquefactio efficitur per humectationem: quoniam sicci est terminari, definiriq. sicuti contra humidi est diffluere, & proprio termino non contineri. Necesse igitur est, vt id, à quo res coagulatur, siccitatẽ faciat.

Siccitas vero duobus modis in aliquo

effici potest: vel scilicet alteratione quadam, noua inducta siccitate, vel per ablationem partium humidarum: quæ scilicet aut lateant compressæ, & contentæ à terrestribus partibus siccioribus aut euolent resolutæ in vaporem, sicq. euanescant. Non dissimili ratione necesse est, vt id, à quo res quæpiam liquesit humiditatem efficiat.

Pluribus item modis humiditas in re quapiam potest effici. Aut enim alteratione fit, qua ea res exuat siccitatem priorem, & induat humiditatem nouã: aut resolutione quadã partium aquearum, quæ compressæ, constipateque prius erant: vel coactione vaporis in aqueam naturam, siue per subingressum in poros partium aquearum, dissolutionemque terrestrium, prius in vnum coactarum.

His expositis dicendum coagulationem interdum fieri à calido per se, si calidum illud fuerit etiam siccum, tum inducendo nouam siccitatem, quatenus est siccum, tum componendo partes aqueas, aereasue humidas cũ terrestribus siccis, necnon resoluendo partes aqueas in vaporem qui euolet & euanescat. Hoc pacto calidum coagulationem facit per se. Interdum calidum etiam per accidens efficit coagulationem: cum per antiperistasim cogit in vnum

vnum frigidum, quemadmodum contingit in grandinis generatione. Frigidum autem cogulationem per se facit exsiccando, si fuerit coniunctum siccitati. Item condensando partes aqueas, in vnumq. cogendo cum partibus terrestribus, à quibus fortius condensatæ etiam continentur, maioremque soliditatem accipiunt.

Per accidens vero frigidum etiam coagulat exprimēdo partes calidas subtiliores immixtas humido: cum quibus humidum quoque implicitum euanescit. Item per accidens coagulationem facit frigidum, si vi caloris humidum resoluatur, qui in vnum cogitur circumsistente, & constipante frigido. Cæterum ea coagulatio, quæ fit mitione quadam complexioni cuipiam apta partium terrestrium cum aqueis, & aquearum resolutione frigido per se attribui non potest. Hæc etenim per concoctionem fit, quæ est à calido per se: non autem a frigido, vt supra diximus.

Ideo Aristoteles in quarto Meteororum in quo primo agit de coagulatione, quæ sequitur mixtionem, qua duræ res, mollesque fiunt, non facit mentionem de ea coagulatione, quæ fit per se à frigido: sed meminit de ea tantum, quæ fit à calido per se, à frigido vero

per acccidens. Ea vero coagulatio, quę fit per se à frigido, conuenit mixtis illis imperfectis, quæ non sunt vnum per formam quandam substantialem tertiam, conflatam ex elementorum mixtione, sicuti grando, nix pruina, cæteraque huiusmodi. Ea namque per se fiunt à frigido, non tantum quia calidum exprimat, simulque humidum: sed quoniam vi sua humidum aqueum, seu vaporem condensat, & in vnum cogit, partesque terrestriores congregat, quæ tenacius, solidiusque detinent partes aqueas, aut vaporibus constipatas.

De huiusmodi coagulatione inferius Aristoteles dicit, quod fit per remotionem calidi, non autem humidi, de quo non meminit. Nam frigidum ideo coagulat, quia frigefaciendo condensat, & constipat humidum aqueum, vel vaporosum. Frigiditas vero, quæ coagulationem facit, quandoque extrinseca est ab illo mixto corpore, quod coagulatur, & præter illius naturam: quandoq. secundum naturam, & intrinseca. Præter naturam est in mixtis imperfectis illis, de quibus supra fecimus mētionem.

In metallis vero, & lapidibus est intrinseca, & naturæ eorum propria. Quo fit, vt glacies, grando, nix liquefactæ permaneant fluidæ: metalla vero liquefacta ignis vi, quum primum vis illa cessauerit

ignea,

ignea, confestim nulla vi frigiditatis etiã extrinsecæ: sed proprio, intrinsecoq. nixu coguntur, & durescunt. Qualis vero, & cuiusmodi sit hæc vis latitans infra dicemus, cum tractabimus de complexionibus.

Hæc de coagulatione sint satis. Coagulata vero liquefiunt per se à calido: quoniam calidum partes in vnum coactas à frigido rarefacit, & disgregat, simulque disiungit partes terrestres, quæ vi frigoris arctius continebant partes aqueas. Necnon calidum etiam per accidens liquefacit, quando scilicet resoluit partes aqueas in vaporem, simulque in vnum cogit partes frigidas per antiperistasim, quarum vi vapor ille disgregatus in aquam cogitur vi frigiditatis in vnum coactæ.

A frigido vero per se liquefieri dici possunt, improprie tamen, vapor cum in aquam cogitur à frigore, sicque cõdensando, & coagulando, frigidum liquefacit. Item à frigido, humido liquescunt sal, nitrum, eiusque generis cætera: quoniam humidum aqueum frigidum poros eorum subit, sicque discindit partes terrestres exsiccatas, & in vnũ coactas vi caloris. Per accidẽs vero à frigido quædã liquescunt, quoniã à frigido expellitur calidũ, cuius vi fit crassitudo in aliquo corpore, & impinguatio,

quædam, vt sperma, quod à frigido liquescit euanescente & euaporatur calido, cuius vi crassius effectum erat.

Nonnulla vero corpora sunt, quæ non queunt coagulari neque à calido neque à frigido, ab vtroque tamen crassescunt, quædam vero neque coagulari, neque crassescere possunt, sed semper fluida perseuerant. Ea quæ aeris plurimum habent, habentque etiam lentorem crassescunt à calido, & à frigido: à neutro durescunt, vt oleum, in quo multum est aeris, ideoque aquæ supernatat: crassescit interdum aliquatenus à calido: quoniam partes nonnullæ aqueæ vi caloris resoluuntur: cogi tamen & durescere non potest, quia non habet multum terræ, sed plurimũ aeris, quo præcipue natura olei constat: à frigido vero non durescit: quoniam aeris vis superat, qui & frigus crassescit, vt in niue, & pruina conspicitur: non autem durescit vt grando, quæ ex aqua efficitur.

Itaque conspicimus oleum frigore coactum habere quandam speciem niuis viridis. Nonnulla etiam quamuis sint aerea, quia tamen valde tenacia, & glutinosa sunt, nequeunt durescere: sed crassescunt, vt mel: eo quod neque caliditas, eique iuncta humiditas exprimi potest vi frigoris propter tenaci-

tatem

tatem, & lentorem, neque etiam vi caloris partes aqueæ resolui queunt ob tenacitatem.

Postremo loco nonnulla sunt corpora fluida, quæ neque caloris, neque frigoris vi durescunt, crassioraue fiunt, vt acetum in quo quamuis paucissimæ sint terrestres partes, itemque calor ille à quo acutum saporem habet, adeo implicitus est per totumque diffusus, vt vi frigoris exprimi non possit, ideoque continet partes aqueas, ne densetur à frigore, & ob paucitatem partium terrestrium contineri non possunt partes aqueæ, ne diffluant.

Quapropter neque etiam à calido durescere, crassescereue potest acetum ob exiguitatem partis terrestris. Nam quæ coagulantur à calido, necesse est vt habeant terræ plurimum, quod constare possit parte aquea ob calorem resoluta.

Preter hæc quæ hactenus à nobis exposita sunt, quædam inueniuntur coagulata, quæ prius à frigido coacta sũt, deinde à calido perfectam capiunt duritiem, & compactionem, vt fictilia omnia. Nonnulla contra prius compinguntur in vnum à calido, demum post actionem, & concoctionem calidi perfectam coagulationem capiunt à frigido. Huiusmodi à natura sunt metalla,

& lapides, quorũ duritiei extremã manum imponit frigidum: licet eorũ mixtio & coactio prius fuerit à calido. Ex his, quæ hactenus à nobis sunt exposita facile intelligi potest, quænam mixta potius sint terrea, quæ item potius aquea, item quæ potius aerea.

De quibusdam dispositionibus, quibus mixta corpora sunt apta, vel inepta certis quibusdã passionibus.

Caput Quartum.

COagulationẽ, liquefactionẽ, crassationẽ mixtorũ corporũ sequuntur plurimæ aliæ dispositiones, quibus vel apta, vel inepta sunt mixta corpora certis quibusdã passionibus. Quędã etenim dura corpora molliri possunt, & inflecti, quędã minime. Ea inquã in quibus humor aqueus propter coagulationem nõ ita resolutus est, atq. euanuit, quin tantũ eius reliquũ sit, & in tota ea maſsa dispersũ, vt vi ignis dissolui non queat, & si ob paucitatẽ, multas partes terreas quibus

bus est implicatum, nequeat fluere, hęc vtiq; igne mollescunt, vt ferrũ & cornũ. quãuis ferrũ violentiori igne adhibito liquescat: itẽ nõnulla mixta aqua aspersa madescũt, vt lana, & huius generis alia: liquescere tamen non possunt.

Quædam contra in aqua posita liquescunt, ægre tamen madescunt, vt nitrum, sal. Nonnulla in aqua & madescũt & liquescunt, vt later nondũ in fornace coctus, similiaq. terrea mixta. Ea quorum partes terreæ glutino tenaci inuicẽ cõpactæ sunt, poros tamen habẽt maiores, aquæ globulis in aqua posita madescunt: non autẽ possũt liquescere. Cõtra quorũ partes terreæ lentore glutinoque carent, poros tamen habent, neque ita exiguos, vt sint aquæ imperuij, neq. adeo magnos vt sine iniuria, & scissione aquæ per eos migrare possit in aqua posita nõ madescunt: sed soluta ab aqua liquescũt.

Terrea vero quia glutinum habent & poros latos madescere possunt, vt lateres incocti, rursus quia compacta sunt glutino non admodum tenaci, aliosque minores poros habẽt, quos subiens aqua diuellit, liquescunt, & soluũtur ab aqua. Nonnulla flexibilia sunt, contra aliqua flecti nequeunt. Flexibilia ob humiditatẽ flecti queũt vt iunci virgęq. virides: inflexibilia non possunt flecti ob siccitatem. Nam humidum est terminabilẽ

termino alieno, ſiccum contra: neutra tamen horum igne molleſcere poſſunt, vt ferrum: quia in lignis terra, & aer ſuperant humorem aqueum non ſuperinfuſum dico, ſed intrinſecum, ex quo compoſitum eſt lignum.

Nonnulla frangibilia ſunt in partes magnas, nonnulla comminui facile queunt in partes exiguas, & minutas. Item quædam ſcindi poſſunt, necnon etiam frangi, vt ligna: lapides autem frangi queunt, non autem ſcindi. Omnis huius generis accidentium cauſa eſt in poris eorumque ſitu. Item in modo, quo partes terræ inuicem cohærent. Nam quorum pori in longum ſunt protracti, parteſque terræ glutino aqueo tenaci per longum inuicem compactæ ſcindi poſſunt, non item frangi. Quod ſi humoris glutinoſi pars reſoluta ſit ob nimiam ſiccitatem, pori non fiunt etiam in latitudine, ſicque frangibilia fiunt.

Lapidum vero pori, vbi rari ſunt, & in omnem partem diffuſi, faciunt lapides frangibiles: vbi vero crebri & frequentes, comminuibiles lapides efficiunt, non ſenſibiles autem: quia non certo ordine in longitudinem protracti ſunt; neque etiam, vt diximus in lapidibus partes terræ cohærent tenaci glutino aqueo, vt in lignis. Pari ratione, atque ex eadem cauſa quædā ſunt mal-

lea-

feabilia, vt plumbum, ferrum, & pleraque omnia metalla; quædam minime. Quod contingit ex humiditate aquea constipata tamen à frigiditate, intrinseca, in qua est lentor & glutinũ. Illa vero, quæ sunt terrea, aut aquea absque lentore, malleo extendi non possunt.

Quod si cum humido aqueo glutinoso fuerit etiam admixtum aeris quantum sit satis, minusq. terræ habeant, fiunt corpora quæ etiam manibus fingi possunt in diuersas formas, quas retinent vt cæra, huiusque generis alia. Hæc, poros habent intraneos, intra quos partes compressæ recipere se queunt, & cõtineri. Item præter has qualitates, & huiusmodi alias nonnulla mixta accendi, & inflammari non possunt, licet feruean, vt aquea omnia.

Quædam contra inflammantur, sed flammam non emittunt, carbonesque ex eis fiunt. Huius ordinis sunt ea, in quibus plurimum est terræ, & nonnihil crassioris aeris, porosque habent, quos ignis subire potest. Illa vero, in quibus plurimum est aeris terræ admixtum & aquæ, modice inflammantur, & flammam emittunt. Nonnulla quoque per se ęgre inflammantur: coniuncta vero ligno arido, aut lino confestim flammam concipiunt, & emittunt in

hisce aereo humido admixtus est aqueus plusquam modicus, parumque terrei, Idcirco per se ob humiditatem nimiam inflammantur ægre, adiuncta vero siccæ rei cito flammam concipiunt, eo quod ignis suapte natura siccus est, ideo vbi cum multa humiditate, quamuis aerea sit, parum est sicci, ægre prodit flamma.

Hæc superius latius à nobis exposita sunt; cum de mixtione, terrei elementi loqueremur. Item ad ignem nonnulla apposita vaporem emittunt, aliqua fumum, suffitum alia, nonnulla nidorem, alia fuliginem. Vaporem aquea; fumum, & suffitum, quæ aerea sunt; nidorem vnctuosa, vt oleum, fuliginem ea quæ cum aere, lentoreque plus quam modicum terrestris partis habent.

Hæ fere sunt qualitates, seu dispositiones mixtorum corporum, quibus pro materiæ, & agentis qualitate inuicem differunt, aptaque, vel inepta sunt ad patiendum: ex quibus facile dignosci potest & materia & efficiens eorum: ac propterea qualisnam sit eorum cuiusq. complexio. Quam partem Aristoteles in quarto Meteororum præclare complexus est. Ego paulo infra pauca quædam perstringam.

De

De Complexione, & primum de temperata.

Caput Quintum.

ACcedo nunc ad complexionem, eiusque genera. Paucisque hanc rem omnem perstringam, quandoquidem accurate lateque de complexionibus tractauit noster Galenus: opere ad eam rem industre confecto, & de complexionibus inscripto.

Complexio secunda qualitas est conflata ex mixtionibus primarũ qualitatũ, qua mixtum corpus agit certa actione, & patitur certa passione. Nam cum tẽperamento primarũ qualitatũ fiat complexio, nonnullæ vero actiuæ sint, vt calidítas & frigiditas, duæ quę supersũt passiuæ, humiditas scilicet & siccitas; necesse est, vt harũ omniũ natura reluceat in complexione, quæ ex ipsis conflatur.

Per complexionem ergo mixtũ corpus & certa actione aget, pro cuiusque temperamento, & certa item passione patietur. Complexionum genera Galenus nouẽ posuit. Quorum vnũquodq; latissimũ est, innumerosque gradus sub se continet.

Prima omniũ est complexio tẽperata quæ

quæ duobus modis potest intelligi, aut scilicet complexio, in qua qualitates primæ quatuor coæquatæ inuicem sunt adeo, vt ne puncto quidem aliqua earum alias excedat, sed posita sit in medio. Alio modo dicimus complexionem temperatam, & æquam, eam quæ operationi maxime omnium sit accommodata, & præcipue cuique generi conueniat. Sicuti solemus dicere quodpiam æquum esse secundum proportionem, & æqualitatem geometricam, in qua constituta est iustitia distributiua, vt in quinto libro Ethicorum Aristoteles tradit. Sic ergo dicimus complexionem temperatam, & æquam, quæ operationi cuiusque speciei conueniat.

Prior illa complexio temperata vna est tantum, quia consistit in medio rerum idest qualitatum, quod vnum est tantum. Posterior hæc temperata est multiplex, pro natura scilicet quarumcunque rerum. Prior illa, si ita medium affectat, vt contrariæ qualitates ita libratæ sint, & elementa contraria, quod vnum in aliud comparatũ habet proportionem maioris inæqualitatis, minorisue; nimirum huiusmodi temperata complexio in rerum natura inueniri nequit. Nam complexio conflatur ex mutua actione qualitatum

tatum contrariarum: hic vero ita libratæ ponuntur, vt vna in alteram compa- rem agere nequeat.

Item si caliditas frigiditatem longe superat in agendo, in resistendo vero magnopere superatur, vtique non possunt ita inter se coæquari, & librari, vt neutra in alteram agat. Quod si huiusmodi æqualitas attendatur penes quantitatem, & molem elementorum, ex quibus mixtum componitur, sic etiam complexio temperata effici non potest. Nam cum elementa actiua ignis videlicet, aerque maiorem vim habeant, quàm passiua, necesse est, vt mole passiua superent actiua: ideo materia mixtorum corporum sunt aqua & terra, & maior terræ copia existit in plerisque omnibus, quam aquæ.

Mole igitur terra & aqua longe superant ignem & aerem. Amplius cum omnia mixta constantiam quandam habeant, impossibile est constantiam hanc fieri, nisi terra & aqua aerem, ignemque in eis superauerint.

Nullo ergo pacto in rerum natura inueniri potest huius generis temperata, & librata complexio: proximam tamen huic complexioni temperatæ, in qua scilicet virtute, & gradu qualitates primæ maximæ sint coæquatæ, arbitratur Galenus esse hominis complexionem,

xionem. Quod efficaci, vt reor argumento adstruit inquit enim cum sensus tactus non percipiat qualitates tangibiles, nisi excedant gradu, & intensione qualitates, ex quibus constat, & confectum est organum tactus: oportet enim recipiens carere ea natura, quam recepturum est idcirco necesse est tanto præstantiorem esse tactum, quanto magis recesserit à qualitatibus extremis, & redactus ad medium sit: sed homo prestantissimũ omnium tactum habet vnde est etiam prudentissimum animalium: igitur necesse est, vt eius complexio sit propinqua complexioni illi mediæ, in qua libratæ sint, & coæquatæ qualitates eo quo diximus modo. Quod si secus esset, vt nonnulli perhibent, & recederet humana complexio plurimum à medio versus calidum, & humidum, & frigidiora animalia, & ficciora homine, quæ plurima sunt, excederent etiam hominem tactus perfectione.

Verum de hominis complexione magis proprie differere ad hoc negocium, institutumque nostrum non pertinet. Sequamur ergo in hac parte Galenum, constituamusque complexionem hominis maxime accedere ad temperiem, inhocque superare omnia mixta corpora, hocq. mensu quodam lato, amploq. dicamus. Quoniã in hominis cõplexione

magna

magna est latitudo adeo vt hominũ aliqui dicantur cõplexionis temperatæ, qui sunt admodũ rari; reliqui vero homines sint complexionum recedentium à temperie versus aliquod extremum, magnopereque inter se discrepent. Sed nos crassiori minerua ponemus humanam complexionem esse maxime temperatã; aliorum vero corporum mixtorum intemperatam esse.

De Complexionibus intẽperatis, & quomodo dignosci possit complexio corporũ omogeneorũ.

Caput Sextum.

INtemperatarũ genera à Caleno ponuntur esse octo in homine: pariq. ratione à nobis poni possunt octo genera complexionũ intemperatarũ, quæ mixtis corporibus preter hominẽ conueniũt. Cuius speciei solũ tẽperatã cõplexionẽ adscripsimus: quãuis vniuscuiusq. speciei mixtorũ corporũ cõplexio tẽperata sit, & æqua operationi, quam natura habet. Octo genera intẽperatæ cõplexionis hæc sũt: calida inquã tantũ, aut tãtũ frigida, humida quoq. tantũ, aut sicca tantũ. Hæ

qua-

quatuor vnica tantum qualitate recedunt à temperamento: aliæ quatuor in vtraque qualitate intemperiem habent.

Quædam enim est calida & humida: alia calida & sicca: item alia frigida & humida: alia frigida & sicca. Quæ si colligantur octo erunt intemperatæ complexionis genera. Inueniri autem posse complexiones intemperatas, propterea quod vnica tantum qualitate excedunt temperamentum, facile probatur. Nam si calidum inueniri potest cum summe humido, itemque cum summo sicco; cur ergo si fuerit æqualitas inter siccum & humidum, calidum exuperare & excedere temperamētum non potest? consimilis est ratio de frigido, item de humido & sicco comparatis calido & frigido.

Auerroes tamen in opere, quod pulcherrimum fecit de medicina conatur Galenum refellere, quod libenter facit, cum potest, diligentemq. operam præstat, vt demonstret Galenum errasse. Inquit igitur Auerroes in eo opere quatuor tantum esse genera complexionum intemperatarum, ea scilicet in quibus excessus est in duabus qualitatibus. Nam inquit cum humidum & siccum sint materia calidi & frigidi, vt nos etiā supra ostendimus, impossibile est inueniri formam sine materia propria; quare

necess-

necesse esse, si calidum excedat, pariter excedere temperiem, aut humidum, aut siccum. Parique ratione, si humidum, aut siccum excedit, excedere calidum, aut frigidum.

Hæc Auerrois ratio si referatur ad gradum caliditatis, seu frigiditatis, quo modo Galenus posuit excessum in complexionibus inæqualibus, omnino inefficax est: verum si referatur ad gradum actionis, eiusque vim, & efficaciam habet. Nam si posuerimus duo mixta esse, in quibus caliditatis, & frigiditatis gradus idem sit; item idem sit gradus humiditatis, & siccitatis: deinde alterum eorum efficiatur siccius, procul dubio gradus caliditatis idem erit post exsiccationem, qui & antea: Attamen vis agendi maior erit in exsiccato, quã in altero mixto, quod mutatum non est, ac etiam maior, quam erat in eodem mixto, antequam esset exsiccatum.

Sin vero contra efficiatur humidius, cũ humiditas obtundat actionẽ caloris minus erit efficax in actione, quã alterũ mixtũ, ac etiam quam esset ante, quam fuisset factum humidius. Non ergo quantum ad vim actionis pertinet, gradumque simul, fieri potest, vt sit æqualitas in calido, & frigido, sit autem excessus in sicco, aut in humido: quia

sem-

semper siccius calidum erit acutius, calidum humidius erit obtusius. Sic etiã siccitas calori adiuncta efficacior est in agendo: quia calidum resoluit humidum aqueum, ideoque maior apparet exsiccationis vis calido, quam in infrigido.

Contra frigidum cogit vaporem in aquam, si fuerit humidum: ideoq. humiditas videtur maioris efficaciæ in humefaciendo coniuncta frigori, quam calori. Nam etsi calor liquefaciat coagulata, per accidens humectat, sed per se exsiccat: quia resoluit tandem liquefactum humorem aqueum, & exsiccat.

Hanc arbitror ego fuisse Auerrois rationem, eiusque sententiam, quæ non discrepat à dogmato Galeni, quod confutat. Nam Galenus non loquitur de qualitate efficaciæ actionis: sed de æqualitate graduum, & latitudinis qualitatum.

Quoad gradus ergo octo sunt genera complexionum intemperatarum, quorum vnumquodq. in rerum mixtarum natura amplissimum est, multasque ac fere innumeras sub se species continet. Ex accidentibus tamen, & differentijs mixtorum corporum, quas supra memorauimus, materia cognita, itemque, & agente, facile etiam formula quadã

tenui

tenui dignoſcere poterimus complexionem corporum omogeneorum. Nam cum eorum materia ſint terra & aqua, ac in nonnullis aer, calor vero & frigus coagulantia: nonnulla autem liquida ſint & fluant: Fluida aquea ſunt ob materiam, ideoque frigida & humida: ſed ſi immixtum aerem habeant, aut vaporem igneum, calida erunt ob vim caliditatis.

Quo interdum exhalante, & euaneſcente, cum à propria natura receſſerint, remanent frigida. Itemque ob eandem cauſam, licet fluant, vim tamen habent exſiccandi ob partes terreſtres aduſtas in fluore illo incluſas.

Coagulata terrea, ſi à calido ſint coagulata, calida ſunt ob calorē impreſſum ab actione calidi, & ob reſolutionem aquei frigidi: itemque ſicca ſunt tum ratione materiæ terreſtris, tum ratione agentis calidi. Sin autem à frigido coagulata ſint, frigida ſunt, actuque ſicca, ſed virtute etiam erunt ſicca, ſi coagulata ſint à frigore, poſtquam mixta fuerint, & compacta in vnum à calido, vt ſaxa, marmorea, cæteraque huiuſmodi.

Glacies vero & metalla actu ſicca ſunt ob coagulationē, virtute tamen ſunt humida quoniā priora abſceſſu caloris, &

& humoris, qui partim à calore resolutus est, & reliquus omnis fere vi frigoris simul cum calore expressus est, ob terream naturam, quæ remanet, sicca sunt.

Posteriora vero quoniam aqueam naturam retinent compressam à frigido, necnon contentam á terreo, quod in eis est potentia sunt humida, licet tactu & actu sicca sint, & appareant. Hæc pauca de his libasse sit satis nostro operi. Alij latius de hisce edisserunt.

Soluuntur aliqua ad Mixta pertinentia.

Caput Septimum.

SEd ambigere aliquis potest in mixtis illis, quæ sunt valde frigida, quonam pacto à calore confecta esse queat, ab eoque contineri. Etenim supra diximus mixta omnia generari, conseruarique à proprio naturalique cuiusque rei calido. Item ambigi, dubitarique potest qua vi fieri queat, vt pleraque mixta eiusmodi sint, vt neque calida, neque frigida admodum videantur apposita tamen corpori, aut intra suscepta

pta nonnulla summopere calefaciant, alia contra frigefaciant, exsiccent alia, aliaque humectent.

Si recte memoria repetantur ea, quæ de natura caloris à nobis supra exposita sunt, itemque de natura cœlestis qualitatis, quam etiam magnum seminarium appellauimus sequuti Platonicos, non ita tamen vt ponamus seminarium hoc esse corpus æthereum omnia permeans: sed accidens, qualitatemque à corpore cœlesti defluentem, omniaq. penetrantem: iacta videbuntur fundamenta esse solutionis prioris quæstionis.

Diximus etenim caloris eam esse vim in agendo, vt etiam si fuerit minoris latitudinis, quoad gradum, tantæ tamen est efficaciæ, & vis, vt superet frigus maioris gradus, non tantum quoad efficaciam agendi, verum etiam quoad vim resistendi ipsius frigoris.

Item diximus præter vim calefactionis, quæ est in calore, inesse etiam in calore vim cogendi omogenea, ideoq. vi caloris naturalis fieri concoctionem, & mixtionem. Item diximus in mixtorum generatione calorem naturalem esse organum cœlestis qualitatis, in qua est seminarium mixtorum omniũ.

Itaque ex his non est difficile soluere priorem quæstionem. Nam illorum

mixto-

mixtorum complexio licet sit frigida, ob maiorem latitudinem gradus frigiditatis, quam caliditatis, tamen minor calor potuit vi agendi superare, & actionem, & resistentiam frigoris: sed multo magis potuit facere mixtionem, & congregare omogene, idest conuenientia illius mixti naturæ & speciei, idque amplius potuit ob virtutem cœlestis qualiatris, cuius calor naturalis est organum. His addas id, quod est potissimum in mixtis frigidis, quod post mixtionem facta in à calore compacta sunt, & coagulata à frigido, cuius vi expressa est magna pars illius caloris, qui mixtionem fecerat, eoque e igno, qui reliquus est, crasso, & terreo mixtio continetur.

Secundam vero quæstionem difficilius est soluere. Nam si nihil agit præter eum gradum quem habet, omne etenim agens agit quatenus est in actu, & ex non ente nihil fit. Item si forma non agit in subiectum in quo est, ipsum alterando, quia idem non agit in seipsũ, neque simile in simile, vt ostendit Aristoteles in primo libro de generatione, difficillimum est inuenire, quanam ratione hæc mixta calefaciant, frigefaciãtue longe magis, quam ipsa illis qualitatibus sint affecta.

Dicam ergo quid sentiam, alij perspica-

spicaciores fortasse quidpiam aliud inuenient. Cum mixtio elementorum fit, quamuis per contrarias alterationes formæ elementorum corrumpantur secundum esse substantiale & remaneant in esse refracto; non tamen putandum est qualitatem elementi propriam vniformi ratione, eodemque gradu remitti in tota ea portione materiæ in qua est forma illius elementi: sed diuersa, difformique ratione, adeo vt in aliqua particula insensibili portionis illius remaneat qualitas elementi propria secundum gradum valde intensum, cui proxima particula, eamque circumsistens remissiori gradu intenso tamen est affecta, sicque deinceps.

Ex quibus efficitur, quod in aliquibus mi tis esse queant particulæ calidissimæ, in alijs frigidissimæ disiunctæ tamen, intraque alias contentæ, adeo vt sensu percipi nequeant.

Vi tamen caloris, aut etiam frigoris per antiperistasim illæ quæ sunt solutiores, possunt in vnũ cogi, nam calidi est congregare omogenea. Ideoq. in vnum coactæ, aut calefaciunt vehementer, aut frigefaciunt summopere. Hinc est quod nonnulla tactu non percipiantur esse calida, aut frigida, cum tamen in ea calor naturalis egeret, siue apposita

ſita ſint corpori, ſeu intra corpus ſuſcepta, coactæ in vnum vi caloris particulæ illæ frigidiſſimæ, calidiſſimæue vehementiſſimos æſtus, aut rigores faciant, & ſæpenumero interficiant.

Nam ſi nihil agit præter gradum proprium proculdubio à calore naturali remiſſori generari non potuit vehementioris maioriſque gradus caliditas, longeque minus frigiditas per ſe à calido generari poteſt; Neque etiam à forma mixti, aut elementi poteſt proprium ſubiectum, & materia in qua ſunt formæ illæ alterari, ſicque fieri vehementior caliditas frigiditaſue in ipſis: Dicemus igitur propterea fieri vehementiorem, quia particulæ illæ vi caloris in vnum coguntur, actionemque faciunt, quam facere ſeparatæ exiguæ, alijsque obrutæ non poterant.

Huius rei exemplum in promptu eſt. Calx ſi tangatur videtur eſſe frigida, nihilque vehementioris in calce ſentitur: quod ſi fuerit aſperſa aqua frigida per antiperiſtaſim à frigido particulæ calidæ, & ignitæ diſperſæ prius, & inſenſibiles in vnum coguntur. Nam ſolutiores aliquanto ſunt, quam in alijs mixtis eiuſdem ordinis, & vehementiorem calorem faciunt.

Quo fit vt ſi calx vetuſtior fuerit, aut non habuerit maiores glebas, ſed com-

minuta

minuta ſit, aut non calefit, aut non ita vehementer, vt calx recens non comminuta. Quoniam in comminuta plurimæ partes igneæ e halarunt, in veteri extinctæ ſunt ob temporis diuturnitatem.

Id ergo quod ſenſu fieri videmus in calce, cur ratio nobis non perſuadeat fieri etiam in mixtis alij vi caloris naturalis in vnum cogentis omogenea?

Alia etiam cauſa adduci poteſt, ſi vellemus aſcendere ſupra qualitates primas, & complexionem, ad potentias videlicet naturales, & proprias cuiuſcumque corporis mixti, quæ ſunt ſecundæ ſpeciei in coordinatione qualitatis, & ſequuntur formas proprias mixtorum.

Hę etiam naturales potentiæ vim habent maximam etiam agendi ea, quæ inferiores qualitates agere poſſunt: quid enim mirum eſt, ſi inferioris virtus contineatur in ſuperiori, & excellentiori.

Dicemus ergo quod mixta illa per naturales potentias, ſeu proprietates agunt eum calorem, ſeu rigorem, multaque alia præter hæc, de quibus nos medici tractamus.

Non autem aptæ ſunt agere huiuſmodi effectus, niſi excitatæ fuerint à

calore animalis: qui similis est æthereo tepori, à quo omnium vires excitantur & promouentur ad suas quæque actiones.

Hæc de complexionibus hactenus dicta sint instituto operi satis.

Explicet Liber Quartus.

DE

DE ELEMENTIS EORVMQVE MIXTIONE

LIBER QVINTVS.

De Accidentibus, quæ complexionem consequuntur & primum de saporibus.

Caput Primum.

PERVENIMVS iam ad postremam partem suscepti à nobis operis, in qua reliquum est, vt tractemus de Saporibus, odoribus, & coloribus. Hæc etenim accidentia complexionem consequuntur, promixèque ad mixtionem acce-

 dunt.

dunt. Verũ primũ ordiemur à saporibus. Nã sapor maxime affinis est qualitatibus tãgibilibus sicuti etiã gustus tactui. Etenim vt dico inferius odoris generatio saporem sequitur: nec dispari ratione odorandi uis gustũ. Saporis naturã nulli simpliciũ elementorũ cõuenire, tum per se manifestũ est, tũ ratione ita esse probatur. Nam sapor sequitur nutrimentum, nihil autem nutriri alicui potest simplici elemento. Sicuti enim mixtum est corpus animatum, quod alitur, ita etiam oportet alimentum mixtum corpus esse. A simili namque vnumquodque nutritur; sapor ergo nequit accidens esse simplicis elementi.

Saporis naturam Democritus accommodauit figuris, & pro diuersitate figurarum voluit esse diuersas saporem species; sed Democriti placita de figuris multis in locis ab Aristotele sunt cõfutata. Quantum vero ad saporis naturam attinet pauca hæc sufficient. figura sensibile commune est quod per se percipitur ab vnoquoque sensu, sed prę sertim à visu & tactu. Sapor vero est sensibile proprium sensus gustus, neque ab vllo alio sensu per se percipi potest.

Hic figuræ nihil est contrariũ, infiniteq. enumerari figuræ possunt: At saporis species finitæ, interseque contrariæ sunt. dulcis etenim sapor cõtrarius est amaro.

Rei

Reiiciẽdæ ergo sunt Democriti figuræ, Empedocles vero, qui posuit quatuor elemẽta esse omniũ rerũ principia simul cũ lite & amicitia voluit sapores nõ fieri mixtione & alteratione mutua elemẽtorũ: sed præexistere in terra, in qua patuit esse omniũ saporũ semina, ex qua deriuarentur in plantas, fructusque indeq. in animalia, quæ iis e terra nutriuntur.

Ceterũ positio Empedoclis quoque de principijs rerũ confutata est alijs in locis philosophiæ naturalis. Hoc vero quod de saporibus, eorumque generatione dicit experimento deprehenditur falsum esse. Nam si sapores generantur, vt Empedocles dicit, nouus sapor fieri non posset, nisi noua pars terrestris accederet, neq. etiam prior sapor posset abiici, nisi quæpiã pars terrestris recederet. At contra fieri videmus in fructibus ab arbore decerptis per concoctionẽ & alterationẽ nouos sapores generari mitiores & dulciores prioribus omnino intercidẽtibus. Generantur ergo noui sapores, qui non prius extabãt. Sapores igitur nõ præexistunt neq. sunt figuræ quædã: neq. etiã in corporibus simplicibus elementorũ scilicet inueniuntur. Erit ergo sapor accidens sequens mixtionem: in mixtionibus autem, vt in superioribus libris diximus, aqua & terra se habent, vt materia, ex illisque præcipue constant

mixta corpora: aer vero & ignis, vt efficiens & forma: licet aer magis attineat ad materiam quam ignis. Sapor, quia accommodatus est materiæ, propterea quod est accidens nutrimenti pertinebit ad mi tionem terræ & aquæ. Verum cum aqua ob sui naturam magis formabilem quam terream potius pertinet ad aliment um, quam terra. Nam & maxima pars terrestris naturæ, veluti excrementum à nutrimento secernitur: saporis natura magis erit accommodata aquæ quam terræ: ex admixtione tamen terrestris naturæ facta per concoctionem à calido.

Erit igitur sapor absterfio quædam, seu percolatio partis terrestris siccæ per humidum aqueum facta à calido, quæ potest efficere gustum, eumque ex potentia in actum operationemque propriam deducere. Postrema hæc particula differentia postrema quoque est constituens naturam: & speciem saporis. Nam sapor proprium sensibile est sensus gustus.

Qua de re Plato in Tymeo cum saporis definiret species non aliunde definitiones earum sumpsit, quam ab affectu, quem in lingua eiusque venulis & meatibus, humoribusque sapores faciũt. Verum definitiones omnes illæ sunt sũptæ ab alterationibus naturalibus, &

mate-

materialibus, quæ non per se pertinent ad potentiam gustus, sed per accidens, attingunt autem per se gustus organa, sed id per se saporem in gustu facere posse dicimus, vt scilicet spiritali specie gustandi potentiam efficiat actu gustantem, vt ita dicam. Sensus etenim susceptiuus est specierum sine materia.

Ex his facile confutatur quorundam sententia, qui putauerunt, vt ait Theophrastus in opere de causis Plantarum, eandem rem homini dulcem esse, cani autem, seu cuipiam alteri animali amaram. Nam cum gustus potentia eiusdem naturæ sit in omnibus animalibus, quatenus gustatiua est & saporum perceptiua, sensusque recte dispositus non fallatur circa sensibile proprium, impossibile est quin eandem dulcedinem omnium animalium gustus nõ iudicet dulcedinem esse, si organa fuerint secundam naturam disposita. Nihil attamen obstat quin dulcedo eadem aliquibus animalibus suauis sit & salubris, alijs vero insuauis est incommoda.

Quis nescit casiam fistulam dulcem esse, nulli tamen hominum ea dulcedo suauis est? quin potius contra omnes homines eam oderunt, & aduersantur.

Cõtra nonnulla alioqui amara suauia sunt, vt intubi radices. Idem de alijs saporum generibus est sentiendum, nisi

quispiam vellet Cratilli, ei usque sect. Philosophorũ sententiam sequi, cuius nutabant, eo quod omnia semper mouerentur, nec momento eodem temporis, quidpiam consisteret, nihil esse suapte natura dulce, aut amarũ, album, nigrumue: sed omnia hęc fieri cum sentiuntur ex coniunctione ad sensum gustu visuue, quorum dogma persequi deridet Plato in Theeteto: Aristoteles, etiam in nonnullis locis.

Postquã constitutũ est quid sit sapor accedamus ad explicanda, enumerãdaq. præcipua saporũ genera, quorũ vnumquodq. amplissimũ est, innumerasq. fere sub se differentias continet. Saporis genera sunt septem, octoue. Dulce, Pingue, Acidũ, Austerũ, Acerbũ, Acutũ, Salsũ, & amarũ, e quibus quoniã dulce & pingue propinqua valde sunt, vno tantũ genere contineri perhibentur, quamuis re vera duo sint genera.

Hæc saporũ genera nonnulli ita distinxere, vt eorũ quædã pertinere dicant ad priuationẽ quandã & naturæ speciei que defectum. Dulcis, Sapor, inquiunt, pinguis, huiusq. generis alij ad speciẽ pertinent: Acidus amarus, ac alij ad priuationem.

Cæterum cum multa inueniantur in plantis præsertim, earumque fructibus quæ ad perfectionem speciemque suam perfe-

perfectã cũ peruenerint huiusmodi, poſt res habet: quin immo indigeſta & imperfecta cum fuerint quadã veluti dulcedine ſunt affecta: deinde ampliori digeſtione perueniunt ad amarum, auſterum, acidumue ſaporem: proculdubio non eſt ita abſolute pronuntiandum ſaporum hæc genera pertinere ad priuationem, & naturæ defectum: quamuis, vt in pluribus, res ita ſe habet, quod dulcis pinguiſq. ſapor digeſtione fiant, & perfectione conſiſtant. Verum vt expoſitione noſtra tota hæc res fiat illuſtrior, altius ordiamur.

Dicamus igitur in vniuerſum tres ſaporis ordines. Quidam etenim veluti priuationes, & corruptiones naturæ ſũt; alij contra ſunt veluti exordia quædam naturæ ſaporum in quibus natura non ſiſtit: ſed ab eis ad perfectionem progreditur. Nonnulli vero ſapores perfecti ſunt, in quibus natura ſiſtit. Primi duo ordines ſaporum ſcilicet crudorum, & putreſcentium conſimiles ſunt formis illis mixtorum imperfectis, per quas medias natura progreditur ad generationem perfectorum mixtorum, itemque ab ſpecie perfectioneque mixtorum regreditur per diſſolutionem ad elementa.

Hi ſapores quoniam nutritioni inutiles ſunt neque per ſe primaque intentione a

natura affecti innominati sunt, nobisque fere incogniti: quamuis eorum nonnulli fere consimiles sint speciebus saporum, quos inueniri etiam in mixtis perfectis fierique per perfectam mixtorum concoctionem supra exposuimus.

Omissis ergo duobus illis ordinibus, qui incerti, incognitique sunt, nec à natura intenti per se, tractabimus de his septem generibus pauca quædam.

Qua in parte lectorem admonitum esse volo, sæpenumero contingere, & in mixtorum substantialium perfectorum generatione, & in saporibus, odoribus, coloribus, omnibusque tandem, quæ progressione quadam natura perficit ex priuationis & non entis natura, vt ita dicam, in rebus his inferioribus immixta, vt ad perfectionem non veniant, immo in contrarium mutentur, aut etiam dissoluantur. Ludit etenim in mortalibus rebus casus & fortuna, multaque per accidens fiunt ob priuationis, & non entis naturam hisce inferioribus immixtam.

De

De saporis naturis.

Caput Secundum.

SEd reuertamur ad saporis naturas explicandas. Summa ergo saporum genera sunt Dulce, Pingue seu, Vnctuosum, Acutum, Amarum, Salsum, Acidum, Austerum, Acerbum, vel Acre. Hæc genera septem sunt si pingue cum dulci coniunxeris: nam admodum affinia genera sunt, & vtraque alimento aptissima.

Quidam his generibus addiderunt saporem vinosum & insipidum: attamen vinosus sapor plerunque pertinet ad aliquod generum superius expositorum. Nam vel dulcis est, vel acris, vel austerus. Etenim si hoc pacto per singula distinguenda genera saporum essent, pari ratione in medium adduci posset lacteus sapor: qui tamen vel dulcis vel pinguis est Nostri vero instituti est referre tantum summa & amplissima saporum genera.

Insipidus autem sapor non est, sed veluti saporis priuatio, quæ gustu percipitur, sicuti visu percipiuntur lumen, & tenebræ.

Dulcis

Dulcis ſapor vt ab eo ordiamur fit ex admixtione partis terreſtris cum aqueo, concoctione & percolatione facta à calore paulo plus quam mediocri, ideo homini cuius complexio propinqua est medio dulcia ſunt calida. Non tamen propterea quiſpiam exiſtimet, ſi res quæpiam videatur affecta ſapore dulci confeſtim totam eam rem eſſe calidam. Nam fieri poteſt, vt quamuis nonnullæ partes ſint calidæ, illæ inquam in quibus dulcis ſapor apparet, plurimas alias eſſe ſapore carentes valde frigidas: non enim neceſſe eſt quodlibet mixtum corpus ſaporem habere, ideoque vniuerſam eam rem eſſe non calidam ſed frigidam: quamuis quaſdam paucas particulas habeat dulces, ac propterea temperate calidas.

Sapor vnctuoſus, ſeu pinguis plus aeris obtinet quam ignis caloreque obtuſiore, ideſt magis aereo conſiſtit, quam dulcis ſapor. Eſt etiam plerunque dilutior, quam dulcis ob eam cauſam, quod maiorem habeat aquæ copiam: affinis tamen eſt dulci ſapori.

Sapor acutus fit à calido ſicco, ſubtili, & parum continet humidi aquei: quare vergit ad calidam & ſiccam complexionem, & per ſe eſt calidior dulci ſapore.

Nihil

Nihil tamen ol stat . etir per accidens aliquod dulcis saporis sit calidus alia quapiam re saporis acuti ratione superius exposita.

Salsus sapor fit à calido sicco non admodum subtili: sed terrestre illud, quo pars aquea percolata est adustum, parumque in eo superest aquei humoris: Tale quidpiam est illud, in quo primo est sapor salsus.

Verum ab exiguo huiusmodi potest infici magna aquæ copia, totaque salsa fieri ex admistione exiguæ portionis altæ. Salsa ergo in quibus primo inest salsedo sunt sicca & calida: non tamen habent calorem adeo tenuem vt aromata, quæ sunt saporis acuti.

Amarus sapor per se siccior est salso, magisque terrestris. Siccitas illa amari saporis interdum est à frigido: sed plerunque est à calido, Quo fit, vt plerunque amara sint calida. Nonnulla vero contra sunt valde frigida, vt opium, quod amarum est, adeo tamen est frigidum, vt resolutionem membrorum faciat, & nimia frigiditate interficiat.

Quod si quæras, quodnam amarum fiat à calido, & quod à frigido, mihi hac in parte Auerrois sententia vehementer probatur, inquit eam amaritudinem fieri

fieri à frigido, quæ rudimentum quoddam est aliorum saporum, quod conspicimus in fructibus plantarum, qui principio sunt amari, siccique valde, & frigidi vt pote, qui sint imperfectissimi, postea humore & sicco adueniente fiunt acerbi, ac deinde austeri & dulces. Horum amaritudo nimirum, vt constat, est à frigido.

Si vero amaritudo sit alicuius naturæ perfectio, non rudimentum, vt in absinthio, in aloe, in multis alijs, vtique in plerisque omnibus amaritudo illa est à calido, & huiusmodi omnia fere sunt calida: nisi habuerint partes alias frigidiores insipidas, ex quarum vi contingat rem totam esse amaram & frigidam. Horum vterque amarus inquam & salsus sapor eo quod sunt valde sicci, plurimumque terræ habent ineptissimi omnium sunt nutrimento, vt pote qui minime omnium separari & immutari possint: idcirco reijciuntur à calido naturali, & subsident in excrementis, nec alimento immiscentur, vt pote quos natura aspernetur & reijciat. Nec etiam ea quæ in mari nascuntur & degunt nutriuntur salso per se, sed pro alimento attrahunt dulcem humorem, qui salso est immixtus.

Ac propterea fit vt nulla arbor, plantane alia fructum efficiat saporis salsi; quam-

quamuis nõnullæ plantæ attrahunt cum alimento quidpiam etiam salsi, non quo alantur, sed quo corticem aspergant, vt cicer, sic enim à putrefactione seruatur, aut quo humiditatem superfluam, & nimiam consumant, vt brassica: cui ob eam causam prodest salsedo, propterea q. fiunt mitioris saporis à salsedine, quæ cum consumpserit nimiam humiditatem, quæ non poterat à calore naturali bene concoqui, reliquum humidi reddit concoctioni idoneum, ideo mitioris saporis fit.

Sal vero aspergitur radicibus palmarum, vt inquit Theophrastus, non vt sale alantur palmæ, sed vt salis vi meatus aperiantur, quibus facilius, queant humorem attrahere, necnon vt vi salis exstimulata vis attractiua efficacior fiat ad alimentum attrahendum. Satis de salso.

Sapor acidus fit à calore diminuto id est qui non plene concoxit, & miscuit humidum aqueum cum terrestri sicco, vel qui propterea diminutus est, quod ex mixto illo corpore arido exhalauit pars calida purior, seu mitior aere inquam. Hoc saporis genus propinquum est dulci sapori, vt ei præcipue dulci qui vinosus est: quo fit vt intueamur in vuis, in moris, cæterisque vinosis fructibus quod cum fiunt maturi, postquã

desie-

desierunt esse acerbi, neque adhuc sunt dulces, acidi saporis esse ob imperfectionem caloris & digestionis. Item si vi quadam calor aereus exhalet fiunt acidi. Sic ex vino fit acetum.

Accidens ergo sapor frigidus est: quãuis contineat aliquas partes calidas adustiores & terrestriores, ac propterea earum vi abstergat, mordicet consumat, exsiccet.

Austerus & acerbus sapor frigidi sunt, magisque acerbus austero. Insipidus autem proprie non est sapor: sed saporis priuatio: non tamen ita, vt omne insipidum omni prorsus sapore careat, sed quod plurima parum sint admodum sapida, vt vix sentiantur.

Insipida fere omnia sunt aquea & dilutiora. Ea namque natura est aquæ, vt per se careat sapore omni, susceptiua tamen sit, veluti prima saporum materies, cuiuscunque saporis generis. Hactenus satis sit explicatum de saporum generibus, quantũ conueniat huic nostro operi instituto.

Duæ tantum supersunt quæstiones soluendæ. Prior de saporum contrarietate, An scilicet maxime contrarij sapores sint, dulcis & amarus, an potius acutus & acerbus. Altera quæstio est, an sapores medij componantur ex saporibus extremis contrarijs, veluti ex quibus-

dam

dam principijs, & elementis saporum.

Calenus putauit sapores maxime contrarios esse acutum & acerbum; quoniam acutus omnium calidissimus est, acerbus contra omnium frigidissimus.

Sed quoniam contrarietas in quouis genere sumenda est ab ea distantia maxima, quæ per se pertinet ad illud genus, non autem ab ea distantia maxima, quæ pertinet ad illud genus per accidēs: ideo contrarietas in saporibus non est sumenda ab distantia in qualitatibus primis, quæ sunt tactiles, non autem gustu per se perceptibiles; sed sumenda est ab effectu gustus.

Cum ergo cuilibet compertum sit gustus effectum à dulci sapore inditum gustui maxime distare ab effectu gustui indito ab amaro: ideo pro nunciandum est dulcem saporem maxime contrariū esse àmaro, non autem acerbum acuto. Quamuis ratione sumpta à calido, & à frigido, vt censuit Calenus, magis inter se distent acutus & acerbus quam dulcis & amarus.

Quantū vero attinet ad alteram quæstionē in decimo libro primæ philosophiæ ostensū est in vnoquoque genere maximā quandam distantiā esse secūdū habitum & priuationem, non quidem abso-

absolute sumptam, sed in eo genere determinatam: cum autem cuiuscunq. distantiæ duo tantum esse extrema possint, ideo in vnoquoque genere duæ sunt differentiæ contrariæ, quarum altera ad habitum pertinet, altera veluti priuatio est; quædam in eo tamen genera, a quibus duæ constituuntur species, quæ simplicissimæ omnium sunt, in extremis illius generis constitutæ, cæteræ differentiæ contrahentes genus, quamuis oppositæ sint & quodam modo contrarie, non tamen maxime contrariæ sunt, quoniam non maxime distant: ideoque species ab eis constitutæ non censentur esse adeo simplices vt priores. Sed quoniam medium cōparandum extremis rationem habet vtriusque extremi, idcirco species illæ mediæ dici consueuere esse compositæ extremis simplicibus: non tamen propterea necesse est, vt sit in eis vera compositio tanquam mixti ex elementis, aut complexionis ex qualitatibus primis.

Vt autem veniamus ad dissoluendam quæstionem de saporibus propositam: Dulce & amarum contrariæ sunt saporis species, ac propterea maxime simplices omnium, reliquæ vero mediæ species sunt veluti ex his compositæ quoniam habent in sui natura quandam vtriusq. participationem: non tamen

ex-

ex dulci & amaro tanquam ex elementis, aliæ saporum species componuntur. Quod euidenti ratione confirmo.

Nam si austerus acutusue sapor componeretur ex dulci & amaro veluti ex elementis: vtique oporteret semper antequam sapores illi medij à natura efficerentur præextitisse sapores extremos: inuicemque commixtos fuisse, ex ijsq. non corruptis, sed imminutis & refractis factos fuisse sapores eos medios. Id tamen non fieri à natura in saporum generatione euidenter deprænhendimus. Quin potius contra præexistere videmus in fructibus saporem acerbum austerumue, ex quibus processu digestionis & perfectionis fit sapor dulcis. Artificio tamen nostro misceri queunt, præexistentes à natura facti sapores: itaque, arte nostra ex eis fieri plurimos medios quos natura plerunque non facit, huius generis quamplurimos ars coquinaria humanæ gulæ deseruiens adinuenit. Hactenus de saporibus dixisse sit satis.

De odoribus.

Caput Tertium.

Post sapores sequuntur odores, qui adeo natura saporibus coniuncti sunt

sunt ab eisque pendent, vt in re insipida nullus odor inesse possit. Quo efficitur vt nullum elementorum simplicium, odorem habeat, quoniam sapore caret. Item metalla, quæ sapore carent, nullum odorem emittunt.

Sequitur ergo odor saporem interque, accidentia alia omnia post saporem, odor maxime pertinet ad nutrimentum, vt paulo infra dicam. Odoris natura etiam sicuti saporis non est sine siccitate: etenim quamuis nonnulla, odora humida sint, vt aqua, vaporue humidus: attamen nisi affecta fuerint, alterataq. à sicco nullum prorsus odorem haberent. Quo fit vt perspiciamus dilutiora parum odora existere. Ex his colligi facile potest odoris definitio.

Est igitur odor passio & affectio facta à sicco terrestri sapido in humido aereo aqueoue, quatenus odoris susceptiuum est. Ex quo perspicuum est, sicuti natura odoris perfectior est, quam saporis, neque ita pertinens ad nutrimentū: ita effectiuum odoris perfectius esse, quam saporis factiuum. Saporem enim efficit siccum terrestre tantum, odorem siccum sapidum: item materia saporis est humidum aqueum tantum, odoris vero humidum aqueum, aereumue quatenus est odoris susceptiuum. Neque odor tamen, neque

sapor

sapor fit absque digestione facta à calido. Omnium namque efficiens est calor, ideoque odorifera pariter, & sapida modice apteq. calefacta illustriores reddunt & odores & sapores.

Odorum genera & modi tres sunt eiusdem ordinis, quem in saporibus supra recensuimus. Nam quidam odores sunt veluti inchoationes & rudimenta naturæ per quæ natura tanquam per media deducit inodora ad perfectos odores; nonnulli sunt tanquam priuationes: vt putrefactorum odores tetri.

Horum modi perfecti sunt, in quibus natura sistit concoctione & digestione perfecta. Horum species innominatæ fere sunt, parumque homini notæ. quoniam hunc sensum odoris valde imperfectum homo habet. Sed ad species odorum explicanda plerumq. vtimur saporum vocabulis. Dicimus enim odorem suauem seu dulcem, item acutum odorem, grauemue, aut leuem. Interdum commiscemus vocabula, vt dicamus quempiam odorem suauem quidem esse, sed grauem: sicuti nonnulla dulcia sunt, quæ habent nescio quid amaritudinis,

In summa vero duo odoris genera esse ponimus, quorum alterum per se sequitur alimentum, ideoq. nobis per se

non

non affert voluptatem tristitiamue, sed tantum per accidens. Nam famescentibus nidor carnium gratissimus est, plenis vero & saturis ingratus, & nauseam faciens. Hoc vnum est odoris genus, quod brutæ animantes exquisitissime sentiunt, omnesque huius generis modos sagaciter dignoscunt: nos non item.

Aliud est odorum genus, quod per se alimentum non sequitur, licet non sit absque sapore: nullus etenim est odor, rei insipidæ, Huiusmodi sunt florum coronariorumque odores. Hoc odoris genus soli homines videntur sentire; cætera vero animalia nullum habere sensum huius generis odorum Aristoteles putauit, vt pote, quæ ventri dedita sensum non habeant eorum, quæ per se non faciant ad alimentum. Quod si qua videntur duci odoribus, vt canes venatici qui in pratis florentibus non sentiunt odorem leporum, quædam idem odorem sulphuris ægre ferunt interentque id per accidens fieri Aristoteles idem auctor est.

Nam aspectus dorũ canes oblectat, ideoque diuertuntur ab sensu odoris. Grauitas etiam, quæ odorem sulphuris comitatur, male afficit, ac interimit nonnulla animalia, Sicuti carbonum fumus homines strangulat & interficit, vt nos in nostra Aerologia scripsimus,

Hæc

Hæc Aristoteles. Verum si ea quæ de Pardali referuntur, vera sunt, quod scilicet odore sui alijs animalibus suauissimo alliciat ad se cætera animalia, quibus vescatur, nimirum necesse est, fateri à brutis animalibus sentiri quoq. hoc odorum genus.

Amplius ratione etiam idem possumus nobis facile persuadere. Nam cum potentia olfactus eiusdem sit natura in animalibus: quæ eã habent, potentiæ vero distinguantur per actus, & actus per obiecta, impossibile fere videturquod bruta, quę olfactũ habent lõge præstãtiorem homine, obiectum, vero olfactus sit odor, non percipiant hanc odoris speciem, quæ ab subiecto illius potentiæ, quam habent continetur.

Quamobrem fortasse dicẽdum Theophrastum melius expressisse Aristotelis præceptoris sententiam, reiq. naturam. Inquit enim is auctor in sexto libro de causis plantarum animalia bruta non duci ab hoc odoris genere, sicuti etiam à venustate colorũ non ducuntur: quãuis eos colores perspiciant: neque pulchras formas mirantur, cum tamen eas visu percipiant, nec mirum; nam cum natura effinxisset animalia bruta ventri, venerique dedita, ea omnia quæ sensu percipiunt, nec tamen faciunt ad gulæ illecebras, venereamue voluptatem

ptatem: nec animaduertunt quidem, sed percepta prætereunt, & quasi prætervolant.

Hoc ergo genus odorum si animalia bruta percipiunt, vt ratio nobis persuadet, non tamen hisce odoribus tanguntur, vlloue pacto afficiuntur: quoniam gulæ non inseruiunt; adeo vt ab eis non sentiri dici possint. Homini vero mirifice conferunt ad sanitatem. Temperant enim nimiā cerebri frigiditatem & humiditatem.

Sequitur tractatio de odoribus.

Caput Quartum.

VT autem redeamus ad naturam odoris. Odor fit à sicco sapido percolato per humidum aqueum aereumque, vt est odoris susceptiuum, aut odoris peruium, vi caloris. Ex his perspicuum esse reor odorem esse non posse sine vlla humiditate, neque etiam sine siccitate sicuti sapor.

Verum odor magis attinet ad siccitatem quam sapor: item materia & subiectum odoris proprium est longe subtilius, quam saporis materia. Nam huius saporis, scilicet subiectum, est humidum aqueum:

aqueum: illius, odoris inquam est aqueum, aereumue, seu medium quoddam inter aquam & aerem aqua subtilius aere crassius, vt inquit Plato in Thymeo.

Duo vero hæc odorum genera, de quibus meminimus, ita se habent, vt odores illi, qui per se consequuntur esculenta, & poculenta plerique omnes magis sint aquei, eorumque materia sit crassior, accedens scilicet ad naturam aquei elementi.

Alterius vero generis odores florum inquam, radicum, corticum, lachrymarum, & huius ordinis alij magis aerei sint, subtilioremque materiam habent, & plerunque sicciorem. Hinc fit, vt hoc odorum genus consequatur potius sapores amaros, stipticos, acutos, austerosque, quam dulces, aut pingues Nam sapores illi sunt magis sicci, subtilioremque exhalationem emittunt. Inde est, quod nullum fere animal bene olet hoc odoris genere præter pardalim seu Pantheram, si vera sunt, quæ de eo animali referuntur.

Contra arbores, plantæ, radices, flores, rami, lachrymæque plantarum multarum optime olent; sicciores etenim sunt. Animalia vero humidiora, magisque aquea. Inde etiam est, quod multi flores si atterantur, odorem amit-

runt: contra multa non olent, nisi atterantur. Quædam insuper torreantur necesse est. Item quædam remotiora suauius, olent, admota prope grauius. In locis item siccis & calidis odorata nascuntur. Necnon si cæpe, & alia serantur iuxta odoras plantas & coronarias; suauius olere illas plantas agricolę asserunt.

Horum omnium ea est causa, quod odores accidentia sunt corporis siccioris & subtilioris, quod tamen humiditate non careant, sed quod cum suapte natura sit humidum afficiatur vi caloris commiscentis à substantia partis terrestris siccæ & sapidæ. Inde accidit quod flores in quorum superficie vapor is subtilis est, non autem interius bene olent statim; quod si terantur euanescit fumus ille odorus. Is vero, qui interius latet vapor, & ex interioribus partibus prodit, nequaquam est odorus: ideo si terantur non olent, aut grauius olent.

Alijs contra corpus id tenue, vapor inquam odorus intraneus est, parumq. eius existit in superficie, quæ terantur opus est si excuti debet vapor ille odorus. Quod si compressiores poros habeat, valdeque compactum sit magis magisque contritione æget. Et in aliquibus nonnisi vi ignis resoluitur & euaporat. Item in alijs quæ latiores poros

habent,

habent. Simul cum puro eo vapore odoro exit terrestrior fumus parum odorus: ideo cum purus ille vapor subtilior longius diffundatur, terreus vero propius idcirco remotiora melius olēt. Purus namque vapor tantum sentitur: propius, vero admota halant terreum fumum immixtum vapori odorifero: ideo olent grauius.

Eadem de causa loca sicca & calida odoratiores plantas ferunt: quoniam odor à siccitate est vi caloris percolata. Quidam putant ob eandem causam cæpe & allia sata iuxta plantas odoras eas efficere odoratiores: quoniam calida sunt & sicca.

Exsiccant ergo & calefaciunt propinquum solum sicque odorem permouēt. Aliqui vero aliam causam afferunt. Inquiunt enim cum vnumqodque à simili nutriatur: ideo cum cæpe & allium grauiter oleant, ab eis trahi vaporem, & nutimentum male olidum: quo efficiatur vt plantæ odoræ habeant purius nutrimentum, vt pote purgatum, extracto excremento ab allio, cæpeque male olentibus.

Hinc etiam fit, quod vinum caliditate sua facile attrahat, & densitate contineat, & conseruet vaporem hunc odorum, facileq. afficiatur odore rerum propinquarum.

Oleum item densitate sua, & glutino conseruat odores: fiunt etiam artificio vnguētariorum olea referentia odorem quorumcunque florum, aliarumque rerum odoratarum: prius tamen purgant oleum à nimio ille lentore & glutino, pinguique. Etenim si ea fuerint in oleo nimia prohibent oleum affici externis odoribus: contumacius namque est ad patiendum nisi sit effectum mollius.

Iris etiam vt ferunt, si incubuerit vbi est adusta materia, odorem elicit. Eius namque vapor humidus, & roridus affectus siccitate adustæ materiæ temperamentum sortitur quandoque odori commodum. Vestigia etiam leporum, si terra fuerit aliqua humiditate affecta, melius odorem continent, & produnt leporem.

Aqua inepta est ad odores recipiendos extraneos: eo quod per rariorem substantiam statim diffluat vapor odorus. Hanc ob rem antiquiores putarūt odorem esse exhalationem quandam: non tamen exhalatio est, sed est sensibile accidens inhærens exhalationi.

Neque necesse est, si odor sentiri debeat, vt exhalatio tangat odoris sensum, olfactum inquam, vt arbitrati sunt antiqui: sed spiritali specie multiplicatur odor à vapore odoro per aerē

medium.

medium, seu aquam, pro cuiusque odoris vi, sicque sensum afficiunt. Nam olfactus non est tactus quidam vt gustus, ideo medio extrinseco æget, vt sentiat, licet non tam magno, vt visus, auditusue, Hoc odoris genus, quod bruta vel non sentiunt, vel non aduertunt, quodque diximus in sicciori materia existere, quam prius, quod saporem alimenti sequitur: si non nutrit, vt Pythagorici putauerunt: accōmodatum tamen est sanitati, bonæque valetudini humani cerebri: vt potè quod aliquanto magis declinat ad frigidum, & humidum. Siccitate ergo & caliditate mediocri huius generis odorum temperatur & melius se habet.

Odorum species singulæ, quia innominatæ & incognitæ nobis sunt, non possunt certo numero compræhendi, Id tantum dixisse, repetijsseque nobis sufficiat odores illos dilutos esse rudimenta quædam odoris perfecti: sicuti sapor insipidus saporum aliorum perfectorum rudimentum & materia est.

Odores vero putridos & tetros, velim corruptiones quasdam esse: nisi si quæ res natura suapte putrem odorem habeant, vt cimices. Nec etiam omnia, quæ oriuntur ex putridis rebus, tetrum odorē habent, vt fungi nati ex stercore:

non tamen propterea male olidi sunt, Miscentur arte hominum odores, vt sapores, plurimique medij humano artificio fiunt ex elementis idest odoribus natura constantibus. De his vnguentariorum negocium est, sicuti coqui artifices sunt cōdiendorum, miscendorumq. saporum. Hi vero odores perfecti, qui natura constant habent, & ipsi species contrarias, vt sapores, mediasque. Verum nobis ignotæ innominatæque sunt, eo quod praue olfaciat homo. Idcirco satis hucusq. de odoribus dictum videri debet.

De colore in vniuersū vbi soluuntur aliqua:

Caput Quintum.

SEquitur vt agamus de colore. Coloris natura longius distat a qualitatibus primis, quam saporis odorisque species. Non enim color per se efficitur ex admixtione qualitatum primarum, vt sapor & odor: sed si fiat ex earum mixtione color per accidens, non per se vero coloris natura sequitur admixtionem luminis in ea natura, quæ est luminis receptiua; huiusmodi vero natura est diaphanū. Itaq. color nihil aliud est, quam extremū, & terminus diaphani eius, quod est lumine affectum. Extre-

tremum vero in diaphano interminato esse non potest. Quo etenim pacto poterit esse quispiam terminus interminatę rei? color autē terminus est Diaphani, ergo terminati terminus per se est color. Attamen quamuis diaphanū omne corpus sit, corporisq. terminus sit superficies color vtique superficies non erit: sed est in superficie. Aliud enim est extremū corporis, quatenus quantū corpus est, & aliud extremū corporis diaphani, quatenus diaphanū est: extremū tamen diaphanū est in superficie corporis. Color igitur est in superficie, no autē est superficies. Diaphanū vero nullū terminū habet, nisi quatenus opacū est. Illud enim diaphanum, quod opacitate omnino caret, suapte natura terminū non habet: sed est & lumini, & visui peruiū. Admixtio igitur luminis cum diaphano corpore scilicet luminis receptiuo opacitatē habēte in extremo illius corporis colorem efficit. Nam natura diaphani non æque est in corporibus omnibus, quæ sunt eius naturæ capacia.

Verum in quibusdā perfectius inest, in alijs imperfectius. In diaphanis interminatis perfectius, quæ etiam cum extremum nullum habeant quo visus nitatur colorem sui natura nullum habēt: sed vndique penitusque sunt lumine illustrata, vt aer perlucidus. Nonnulla quę

imperfectius sunt diaphana, ac propterea aliquo pacto opaca: si lumine perfundantur, quamuis visui peruia sint: ob opacitatem tamen extremum habent, in quo visus quoquo modo figi potest, videnturque calore aliquo affecta. Vitrum, aquarum complures huius ordinis sunt in quibus depræhenditur aliqua species coloris. Alia vero diaphana idest luminis receptiua, & à lumine affecta multam habent opacitatem, ideoque sunt imperuia visui, statimque in extrema eorum superficie visus figitur. Hæc tantum colorata videntur, & non diaphana.

Ex his perspicuo sequitur colorem fieri ex admixtione luminis cum opaco, coloremque esse, vt Aristoteles inquit, extremum diaphani terminati. Quamobrem. Auempaces arbitratus est coloris naturam & speciem non differre, à natura luminis, ideoque colorem & lumen putauit esse eiusdem speciei, nihilque aliud colorem esse, nisi extremum luminis. Huic addidit colores in tenebris nihil esse actu, sed tantum potentia, idest incohatione quadam, quos postmodum perficeret præsentia luminis illius, quod expelleret tenebras. Ratione vero hac ductum fuisse Auempacem verisimile est, quoniam non animaduertit in corporibus coloratis

intrin-

intrinsecus aliquid luminis esse: verum censuit omne lumen extrinsecus accedere à præsentia corporis lucidi.

Auerroes in Secundo Libro de Anima acuta ratione refellit hanc sententiam Auempaces. Nam inquit color est motiuus diaphani secundum actum, id est eius diaphani, quod actu est diaphanum. Actus autem diaphani lumen est.

Sequitur ergo quod diaphanum quatenus lumen habet, sit per se mobile, à colore. Sed omne susceptiuum, receptiunmque per se alicuius naturæ, caret natura, & specie rei, quam recipit. Ergo color, qui per se motiuus est diaphani, quatenus est lumine illustratus, non est eiusdem speciei cum lumine. Pulchra sane, & efficax ratio. Amplius Auempaces ægre causam reddere posset: cur est, quod magnum lumen offuscat lumen minus, adeo quod præsente re valde lucida vix, ægreque perspiciamus rem minus lucidam.

Inde fit, vt lucernæ lumen vix appareat sub lumine solis: stellæ quoque interdiu non videntur ob eandem causã: colorem vero magnum lumen non offuscat: sed illustrat & euidentius apparere facit, si color nihil aliud est quam lumen debile in extremo diaphani existens. Coloris ergo natura alia est à natura luminis, & licet originem for-

mamque habeat à lumine: degenerat tamen à luminis specie in speciem lumine inferiorem, & jmperfectiorem.

Sic tepor cœlestis efficit interdum, calorem elementarem, qui est infra, naturam illius teporis. In obscuro autem, & in tenebris colores actu sunt, non potentia: quia res coloratæ componũtur ex elementis, in quibus ex sui natura lumen est, vt de igne exploratum est omnibus. Quid de aere, & de aqua sit statuendum infra dicemus.

Color igitur extremum est diaphani terminati: non tamen est lumen, nisi participatione quadam, vt deriuatione à lumine: sed species, & natura quædam est degenerans à luminis perfectione. Duplicis vero generis est color. Nam quidam colores sunt secundum apparentiam tantum, idest qui nobis videantur inesse rebus, non tamen insint. Nonnulli vero perfectam speciem habent in rebus, & vere non ex oculorum illecebra res affectæ sunt illis coloribus.

Primi generis colores illi sunt, quibus visus eluditur. Nam quoniam color est extremum diaphani terminati, contingit interdum, vt diaphanum re vera interminatum sit, ac propterea re nullum terminum habeat, ac ideo nullum colorem. Color etenim extremum est

&

& terminus. Nobis vero ob accidens aliquod diaphanum illud videbitur terminum habere, seu quod deficiat visus neque vltra certum terminum extendi queat: sed in eo figatur, siue ob aliam quandam caasam. Tunc vtique nobis apparet in eo diaphano certus quidam color, ceruleus inquam, aut purpureus pro qualitate scilicet diaphani, qui istamen reuera non est. Nihil enim refert, quantum ad apparentiam pertinet an sit in eo diaphano opacitas, ac proptetea admixtio luminis cum opaco, & terminus diaphani, an re vera non sit: sed nobis ob accidens aliquod esse videatur.

Colores igitur huius ordinis esse apparent, cum tamen non sint, pendentq; ex lumine extrinsecus influente in diaphanum illud, & variam speciem præbent propinquis, remotisue, oblique & recte spectantibus.

Ea de causa Cœlum videtur ceruleũ, itemque colles & mõtes, si distent multum à nobis, præ se ferunt colorem ceruleum, interdumque cianeum. Deficiente enim visu ob spatium longinquũ aer opacior videtur, itemque terminũ quendam offet in quo figitur visus, admixtioque illa luminis cum opaco colorem cæruleum refert, seu cianeum, si maior opacitas inesse apparebit.

Hoc

Hoc ergo caloris genus secundum apparentiam, & phantasiam quandam est, non secundum existentiam. Id enim quod existit lumen est, non color: eluditur tamen visus ob eas, quas diximus causas, & colorem putat se videre. Nam species luminis deficiens colorem refert. Quandoque etiam videtur diaphanũ infici alieno colore, cum scilicet illustratur lumine, quod refrangitur à re quapiam illustri colore colorata.

Sic quandoque cubiculum apparet viride, aut rubeum si vitrea fenestra fuerit viridis, cæruleiue coloris, per quã intra thalamũ radij transmittuntur: sic à nobis res citrinę videntur, si oculus infectus fuerit colore citrino. Aliud coloris genus est secundum existentiam, quoniam scilicet reuera plurima corpora sui natura sunt affecta colore quopiã. Nam cũ componantur ex rebus lumen habentibus, quo tota afficiuntur, proculdubio diaphana sunt, idest susceptiua luminis: sed cum sint imperuia visui, terminataque item sunt, non autem interminata.

Sunt ergo suapte natura diaphana terminata, ideoque sua etiam natura eorum corporum diaphanum terminum habebit. Sed vt supra definiuimus colorem, nihil aliud est color, nisi terminus, seu extremũ diaphani terminati.

Erunt

Erunt ergo naturæ, & secundum existentiam huiusmodi res coloratæ.

Species vero coloris innumeræ sunt, attamen ad septem quasdam illustriores rediguntur, referunturq. omnes. Album scilicet, Flauumque, Cæruleum, Viride, Purpureum, Puniceum, Croceum, Luteumue, Nigrum, Fuscumque. Horum colorum extremæ species, contrariæque sunt album & nigrum, quibus affines sunt fuscum & flauum, flauum scilicet albo, & fuscum nigro. Album in colorum genere se habet, vt habitus, nigrum vt priuatio. Ideo cum lumen sit forma coloris, à quo scilicet coloris natura per degenerationem quandam descendat, in albo est plurimum luminis, pertinetque album ad lumen: ita nigro exiguum luminis est, plurimumque opaci, pertinetque nigram ad tenebras.

Qua de re tenebræ vbicunque fuerint nigricare videntur: non tamen propterea putandum est nigri coloris naturam esse priuationem omnem luminis, tenebrasue ipsas. Nam nullus visa percipit neque quam magnæ sint tenebræ, neque quali figura præditæ sint. At niger color, & quam magnus sit percipipitur, & cuius sit figuræ, quotusq. numero etiam sit.

Ideo ergo visu percipiuntur tenebræ, quia

quia visum non mouent, non autem quoniam sui specie visum afficiant. Sic silentium auditu, & insipidum gustu percipitur. At nigrum sui specie visum mouet: ideo nigrarum rerum & figura, & numerus percipitur visu: niger tamen color quia pertinet ad priuationē, fit veluti per luminis extinctionē quandam in opaco.

Contra color albus fit per præsentiam luminis, & illustrationem opaci. Nigri vero speciem referunt, & tenebræ quoniam visum non mouent, & percipiuntur, vt priuatio. Et res opacæ in quibus lumen offuscatum est, & tenebricosum effectum ob opacitatem, ac propterea extrinsecum lumen ab eo ad visum non reflectitur.

Ea etiam, in quibus parum est luminis, eiusque exiguum reflectitur ad visum, nigricare videntur, vt vmbræ omnes, vmbrosaque loca, in his etenim lumen est, sed exiguum, & opacitate obrutum refrangitur ad visum. Fuscæ item res eiusdem ordinis esse videntur.

Duo hæc extrema sunt & contraria colorum genera, quæ lata amplaq; sūt, pro diuerso gradu opacitatis, luminisq. illius, veluti extincti in nigro: vel etiā copia, & quantitate luminosi corporis existentis in albo corpore. Namque opacitatis intensio remissioue, eiusdem ampli-

amplitudo, aut exiguitas coloris nigri modos euariunt. Contra in colore albo copia vel intensio vigentis luminis aut contra paucitas, remissioue, seu copia, paucitasque opaci lumine illo illustrati varios, longeque diuersos faciunt albedinis modos.

Colorem album Aristoteles in opusculo de coloribus, quod eius nomini inscriptum ad nos peruenit, attribuit colorem album aeri aquæ itemque terræ: ignem vero & solem flauum Aristotele facit.

Nigrum vero colorem attribuit aquæ aut aqueo vapori cum siccescit, vel vi ignis, vel etiam sensim vi sicci alterantis & exsiccantis: vnde immutatione quadam aquæ ad siccitatem calorem nigrum consistere dicit. Hinc fieri prædicat quod in puteis parietes, qui sub aqua sunt nigredinem contrahunt. Hinc fumus lignorum humidorum ater est, carbonesque atri sunt, fumo scilicet illo crassiori & aqueo intincti, qui si exurantur consumpto vapore eo nigro resoluti in cinerem redeūt ad albedinem: quamuis cinis aliquid adhuc retineat illius tincturæ, ac propterea sit pallidus. Quæ si omnino vi ignis consumpta fuerit vt in calce, tunc conspicitur purus nitor & candor.

Hanc

Hanc summi philosophi sententiam si improbare auderem, iure haberi possem audacissimus. Afferam tamen dubitationes eas, quæ me aliquanto grauius vrgent, easque quas potero soluā, alias vero peritioribus soluendas relinquam. Id quod primum Aristoteles dicit, aerem scilicet, & aquam esse coloris candidi, sui natura non videtur admodum exploratum esse.

Nam si aer, & aqua sui natura sunt alba corpora, ergo etiam sui natura luminosa sunt corpora. Qui nanque fieri potest, vt sit color quispiam, ac presertim albus sine lumine, immo sine copia luminis? Quod si duo ea elementa ingenitum lumen haberent: nimirum non essent diaphana in potentia alterius, scilicet indiga luminis, sed sui natura essent actu diaphana.

Lumen etenim est actus diaphani, cui tamen rei sensus contradicit. Quilibet enim facile experitur amotis luminibus cæterisque rebus lucentibus aerem summopere fieri tenebricosum, nec minus aquam nullo prorsus apparente luminis vestigio.

Contra vero adstruere Aristotelis sententiam videtur id, quod experientia nos docet, aerem scilicet, aut aquam, seu vaporem aqueum, si densiora facta fuerint, continuo referre colorem candidum:

didum, vt perspicuum est in niue & pruina. Quis enim diceret niuis, pruinæque candorem esse à corpore igneo incluso? cum nix & pruina cogantur per expressionem corporis calidi, in eisque summa sentiatur esse frigiditas?

Idcirco quantum pertinet ad hanc quæstionem, fortasse non inepte dicere possemus in aere & aqua quoddam lumen esse inchoatum, potiusque in aere quam in aqua, vtpote qui magis accedat ad perfectionē ignis quam aqua: non tamen adeo magnum est, vt perfectum sit lumen, actusque diaphani esse queat: sed hæc natura in aqua & aere inchoationem tantum luminis facit, idest diaphanitatem vt ita dicam, quæ inchoatio quædam est perfecti luminis. Etenim actus, & potentia pertinet ad idem genus.

Cum ergo aer & aqua diaphana sint corpora, natura sui quandam habent luminis inchoationem, qua caret terra. Hæc vero perspicuitas illorum corporū ab extrinseca luce perficitur. Sicuti ergo ignis ob sui raritatem non lucet, densatus autem, & coactus in vnum lucere incipit, & lumen emittere: ita aer, aqueusque vapor cum habeant inchoationem quandam naturæ luminis, non autem perfectionem aliquam, vt ignis, cum rara sunt neque lucem emittunt,

tunt, neque colori peruia sunt, in quo deficiunt ab igne, qui sui natura actu diaphanus est.

At cum vtrumque eorum corporum, aer inquam & aqua, densatum fuerit, non equidem lucet, aut lumen emittit, quod facit ignis: sed ob perspicuitatem idest naturam luminis incohatam efficiuntur colorata eo colore, qui ad naturam luminis maxime accedit, candore inquam & albedine. Hæc non incōmode mihi videntur dici posse super hac quæstione. Altera vero mihi longe difficilior videtur esse in eo quod Aristotel. statuit terram esse sui natura candidam, & colorem nigrum fieri mutatione aquæ, seu vaporis aquei in siccitatem.

Nam si color sit vltimum diaphani terminati, terræ vero natura maxime remota sit a perspicuitate ob sui opacitatem, & densitatem, quonam pacto poterit terræ naturæ attribui coloris, qui in se omnium maxime lumen contineat, albedo scilicet & candor?

Item suboritur alia quæstio, qua ratione fieri possit, vt aqua siccescens efficiatur atra. Nam si terræ natura cādida est, ignis item flauus, vel lucidus & splendens, in illa mutatione, qua aqua tendit ad naturam terræ, siue

mute-

mutetur vi ignis: siue vi sicci alterãtis aquam, cum agens omne faciat passum sibi similem, nescio ego perspicere à quonam fiat nigredo illa, cum & terra natura sit candida & ignis plusquam candidus, splendet enim.

Equidem ingenue fateor quæstiones has mihi difficillimas videri, adeo vt in dubium mihi reuocent non iudicium Aristotelis, sed auctorem operis illius: nescioque an falso nomen Aristotelis ad scriptum fuerit. Quare peritiores me soluent has quæstiones.

Ego vero potius sentirem, si libere mihi daretur optio, terram sui natura esse maxime tenebricosam, & carentem lumine ac propterea nobis referre colorem maxime atrum, qui potius ob lumen extrinsecum refractum à superficie terræ rationem habet coloris, quam ex natura terræ.

Ea namque potius dicenda esset tenebricosa, quam nigra. Verum ob id, quod lumen diaphani, in quo terra videtur, pertingit, & quodammodo admiscetur opacæ illi superficiei, ideo colorem atrum facit.

Hæc me moueret ratio de calce, & cinere adducta. Nam reor in vtraq. plurimum esse vis igneæ, ac propterea luminis: quam ob causam calx candida est,

cinis

cinis subalbidus, in quo minus sit ignis, quam in calce. His constitutis accedamus ad colores alios, eorumque naturam explicandam. Nigerrimus ergo est color terræ; aqua etiam, aqueusque vapor si siccescat, propinquiorque fiat naturæ terræ nigrescit: eo quod siccitate opacior sit aqua; ea tamen nigredo minor est, quam nigredo terrea, quia inibi minor quoque opacitas est. Albedo vero propinqua est lumini, licet latissime pateat, multosque sub se modos contineat. Quod si maiori fuerit lumine illustrata, fere splendet, sed proculdubio flauescit.

De Coloribus.

Caput Sextum.

VT igitur ordiamur. Colorum mediorum primus cœruleus est. Fit hic color ab opaco admodum raro, & diaphano à remissiori quodam lumine illustrato. Hinc est quod & cœlum videtur ceruleum, & mare. Nam opacum id, ex quo fit cœruleum, propinquum est illi nigro, quod diximus esse in vmbra, minus tamen, & remissius. Quod si opacum fuerit densius priore, magis-

magisq. nigrescat, quemadmodum aqua, cum siccescit, fit nigra, admixtumque fuerit nigro, opacoue illi aqueo lumen mediocre fit color viridis, cuius plurimi sunt modi.

Ob hanc causam omnes plantæ sunt coloris viridis, quoniam nutriuntur humore aqueo radijs solis exficcato, illisq. admixto. Quod si cœruleus color fiat magis opacus aut in quopiam mixto corpore sit maior opacitas, quam in cœruleo, lumenque intensius, quam in cœruleo & viridi, magisq. densum fuerit, efficitur color purpureus. Quod si opaco densiori, & terrestri mixta fuerit magna copia luminis, intensiorisque gradus, fit color puniceus: indicio sunt carbones, qui nigerrimi sunt, accensi tamen efficiuntur coloris punicei.

Viridis color si siccescat vertitur in luteum: vnde videmus frumenta, paleas, frondesque cum arescunt, flauescere, ac fieri coloris lutei: licet nonnullæ, in quibus maior est humoris copia, antequam fiant coloris lutei, rubeant.

Hæc in summa est horum colorum natura, quorum quilibet amplissimus est, multosq. sub se modos continet pro temperatiua opaci & luminis. Quorum singulos enumerare neque est instituti nostri, neque fere possibile. Tum sciat

si

si quis intuebitur colores plantarum virides omnes, innumeros tamen, colores florum fere infinitos.

Modos etiam temperamenti in singulis solius Dei est nosse, & facere. Præclare Plato in Tymęo. Qui hęc, inquit facere quærit, ignorat quid intersit inter Deum, & hominem. Ille namque & nouit mésuras omnium & temperat, cursusque facile dissoluit. Homo neque præstare hoc potest opere ipso, neque nosse i

Huiusmodi est colorum natura, Verum non semper species cuiusque coloris oculis nostris offertur talis, qualis sua natura est, sed lumen diaphani, quo medio videntur colores, & illustrantur plurimum ad coloris cuiusque apparentiam: hinc fit quod multa, quæ interdiu apparent viridia noctu cœrulei, seu purpurei coloris esse videntur.

Item lumen ipsum sæpenumero afficitur colore diaphani, per quod peruenit ad colorem, qui videtur: sicque color dupliciter inficitur. Nam & qualitate luminis, quo illustratur, afficitur & aduentitio illo colore, quo lumen affectum est. Hinc fit quod raro tales nobis appareant colores, quales reuera sunt. Euenit illud etiam quandoque, vt in re quapiam multi, propinquique sint pori, qui aliquo colore tincti infe-

ctique

ctique sunt, ideoque tota eas res videatur esse illius coloris, quo tincti sunt pori: cum tamen ea res interius natura sui alium colorem habeat.

Hinc est, quod videmus nonnullos lapides atri coloris trahere lineas candidas, eo quod eorum pori tincti sunt atro colore fumi, à quo concoctus est lapis, & postea coactione lapidis per minutissimos illos poros expressus; quamobrem ater videtur esse lapis, cum tamen sui natura, & interius sit candidus. Is color conspicitur, comminutis poris in linea protracta partes tantum & ramenta lapidis sunt.

Contra alia ob tincturam flaui coloris videntur esse: cum tamen minimæ particulæ, ex quibus constituta sunt, colorem atrum habeant. Non dissimili ratione ea, quæ arte tinguntur, ingrediente, ac subeunte colore intra poros propinquos adeo, & sic implicitos, vt interualla non persentiantur, tincturam capiunt, quæ in multis adeo est tenax, vt dilui non queat.

Hæc colorum genera, innumeræque species artificio à pictoribus temperantur, & commiscentur: interdum alij alijs euidentioribus superponũtur adeo vt infinitos fere faciant colorum modos. Natura quoque in animalium villis, in plantis, earumque, & fructibus, & flo-

ribus ita commiſcet, & digerit, vt omnes præſtantiori ingenio præditos ſumma admiratio capiat, oblectatioque non mediocris: cum ſolertiam naturæ in illis contemplantur.

Vtitur autem natura tum materia varia, tum digeſtione diuerſa in efficiẽdis tot coloribus. Sed color villorum in animalibus plerunque ſequitur naturam eorum pellis; nam plerunque ſiunt intra poros cutis.

In fructibus vero & floribus plantarũ multum faciunr Solis radij, qui admixti coloribus plantarum pro copia, & qualitate nutrimenti, & natura plantarum pulcherrimos varioſq. colores effingũt. Hinc eſt, quod plerunq. in animalibus colores virides, punicei, lutei, innumeriq. alij non conſpiciuntur, qui paſſim ſunt in folijs, fructibus, & floribus plantarũ.

Quod ſi quæ aues, aut pauones, columbæ, galli hiſce coloribus ſunt pictæ: cum pluma ex cute exeunt, vtiq. eis non ſunt infectæ coloribus: ſed poſtea illuſtratæ radijs ſolis, & lumine aeris, quẽ imbibũt, quæ idoneã naturã habent coloribus illis pinguntur. Sed de coloribus plãtarũ & animalium ſigillatim tractare non eſt inſtituti huius à nobis operis: ſed ad eã philoſophiæ partem pertinet, quæ tractat de animalibus & plantis.

Con-

Concluditur opus de Elementis eorumque mixtione.

Caput Septimum.

NObis hactenus dixisse sit satis, sicque Deo bene iuuante ad calcem instituti à nobis operis peruenimus: Nã & de igne in Lunari concauo contra Neotericos, & de elementis, quatenus mundũ constituũt, itemq. quatenus mixta cõficiunt tractationem peregimus: item de eorum mixtione, & qualitatibusq. mixtiooem facientibus, necnon de qualitatibus mixtionem consequentibus, quibus vel apta vel inepta sunt mixta ad passionem quampiam recipipiendam.

Adiunximus breuiem tractatum de complexionibus, quæ mixtionem sequuntur, quibus tum agunt, tum etiam patiuntur mixta corpora.

Postremo tractauimus de saporibus, odoribus, & coloribus, quæ communia quædam accidentia sunt mixtorum fere omnium, & quibus mixta immutare sensus possunt: vbi constitit, pressitque gradum nostrum hoc opusculum

quemadmodum in fronte statim lectoribus proposueram.

Supra hæc sunt naturæ, & propria accidentia mixtorum corporum omogeneorum, ac deinde natura plantarum & animalium quorum corpora organica sunt. Horum formationis, & figurationis causas superat vires calidi frigidi, humidi & sicci, mixtionique elementorum: sed naturæ artifici, vique generatiuæ est attribuenda.

Hæc omnia contemplatur philosophia, ex hisque ad vim cœlestium corporum, ac mentium illa mouentium, indeq. subuehitur ad primam rerum omnium causam.

Quare nunquam satis digne prout de hominum genera merita est, laudari poterit diuina hæc scientia, quæ homines euehit ad Dei immortalis commercium quoddam, & ad supremi summique boni cognitionem: quod tota natura appetit, cuiusq. præstantiam, & excellentiam exprimere, & imitari conatur pro viribus sibi tributis. Cui sēper agendæ sunt gratiæ, & laudes decantandæ pro ineffabili eius bonitate, & innumeris bonis naturæ hominū præstitis. Quorum præstantissimum iure existimari debet Philosophia, quæ nos efficit prope diuinos. FINIS.

Deo Opt. Laus inexplicabilis.

DOMI-

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI
IATROLOGISMI
SIVE
EDICAE OBSERVATIONES

Quibus additus est in fine.

LANTARVM AMPHITEATRALIVM

Catalogus.

quemadmodum in fronte statim lectoribus proposueram.

Supra hæc sunt naturæ, & propria accidentia mixtorum corporum omogeneorum, ac deinde natura plantarum & animalium quorum corpora organica sunt. Horum formationis, & figurationis causas superat vires calidi frigidi, humidi & sicci, mixtionique elementorum: sed naturæ artifici, vique generatiuæ est attribuenda.

Hæc omnia contemplatur philosophia, ex hisque ad vim cœlestium corporum, ac mentium illa mouentium, indeq. subuehitur ad primam rerum omnium causam.

Quare nunquam satis digne prout de hominum genera merita est, laudari poterit diuina hæc scientia, quæ homines euehit ad Dei immortalis commercium quoddam, & ad supremi summique boni cognitionem: quod tota natura appetit, cuiusq. præstantiam, & excellentiam exprimere, & imitari conatur pro viribus sibi tributis. Cui sēper agendæ sunt gratiæ, & laudes decantandæ pro ineffabili eius bonitate, & innumeris bonis naturæ hominū præstitis. Quorum præstantissimum iure existimari debet Philosophia, quæ nos efficit prope diuinos. FINIS.

Deo Opt. Laus inexplicabilis.

DOMI-

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI
IATROLOGISMI
SIVE
EDICAE OBSERVATIONES

Quibus additus est in fine.

LANTARVM AMPHITEATRALIVM

Catalogus.

quemadmodum in fronte statim lectoribus proposueram.

Supra hæc sunt naturæ, & propria accidentia mixtorum corporum omogeneorum, ac deinde natura plantarum & animalium quorum corpora organica sunt. Horum formationis, & figurationis causas superat vires calidi frigidi, humidi & sicci, mixtionique elementorum: sed naturæ artifici, vique generatiuæ est attribuenda.

Hæc omnia contemplatur philosophia, ex hisque ad vim cœlestium corporum, ac mentium illa mouentium, indeq. subuehitur ad primam rerum omnium causam.

Quare nunquam satis digne prout de hominum genera merita est, laudari poterit diuina hæc scientia, quæ homines euehit ad Dei immortalis commercium quoddam, & ad supremi summique boni cognitionem: quod tota natura appetit, cuiusq. præstantiam, & excellentiam exprimere, & imitari conatur pro viribus sibi tributis. Cui sēper agendæ sunt gratiæ, & laudes decantandæ pro ineffabili eius bonitate, & innumeris bonis naturæ hominū præstitis. Quorum præstantissimum iure existimari debet Philosophia, quæ nos efficit prope diuinos F I N I S.

Deo Opt. Laus inexplicabilis.

DOMI-

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI
IATROLOGISMI
SIVE
EDICAE OBSERVATIONES

Quibus additus est in fine.

LANTARVM AMPHITEATRALIVM

Catalogus.

quemadmodum in fronte statim lectoribus proposueram.

Supra hæc sunt naturæ, & propria accidentia mixtorum corporum omogeneorum, ac deinde natura plantarum & animalium quorum corpora organica sunt. Horum formationis, & figurationis causas superat vires calidi frigidi, humidi & sicci, mixtionique elementorum: sed naturæ artifici, vique generatiuæ est attribuenda.

Hæc omnia contemplatur philosophia, ex hisque ad vim cœlestium corporum, ac mentium illa mouentium, indeq. subuehitur ad primam rerum omnium causam.

Quare nunquam satis digne prout de hominum genera merita est, laudari poterit diuina hæc scientia, quæ homines euehit ad Dei immortalis commercium quoddam, & ad supremi summique boni cognitionem: quod tota natura appetit, cuiusq. præstantiam, & excellentiam exprimere, & imitari conatur pro viribus sibi tributis. Cui sẽper agendæ sunt gratiæ, & laudes decantandæ pro ineffabili eius bonitate, & innumeris bonis naturæ hominũ præstitis. Quorum præstantissimum iure existimari debet Philosophia, quæ nos efficit prope diuinos. FINIS.

Deo Opt. Laus inexplicabilis.

DOMI-

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI

IATROLOGISMI

SIVE

EDICAE OBSERVATIONES

Quibus additus est in fine.

LANTARVM AMPHITEATRALIVM

Catalogus.

ribus ita commiſcet, & digerit, vt omnes præſtantiori ingenio præditos ſumma admiratio capiat, oblectatioque non mediocris: cum ſolertiam naturæ in illis contemplantur.

Vtitur autem natura tum materia varia, tum digeſtione diuerſa in efficiēdis tot coloribus. Sed color villorum in animalibus plerunque ſequitur naturam eorum pellis; nam plerunque ſiunt intra poros cutis.

In fructibus vero & floribus plantarū multum faciunr Solis radij, qui admixti coloribus plantarum pro copia, & qualitate nutrimenti, & natura plantarum pulcherrimos varioſq. colores effingūt. Hinc eſt, quod plerunq. in animalibus colores virides, punicei, lutei, innumeriq. alij non conſpiciuntur, qui paſſim ſunt in folijs, fructibus, & floribus plantarū.

Quod ſi quæ aues, aut pauones, columbæ, galli hiſce coloribus ſunt pictæ: cum pluma ex cute exeunt, vtiq. eis non ſunt infectæ coloribus: ſed poſtea illuſtratæ radijs ſolis, & lumine aeris, quē imbibūt, quæ idoneā naturā habent coloribus illis pinguntur. Sed de coloribus plātarū & animalium ſigillatim tractare non eſt inſtituti huius à nobis operis: ſed ad eā philoſophiæ partem pertinet, quæ tractat de animalibus & plantis.

Con-

Concluditur opus de Elementis eorumque mixtione.

Caput Septimum.

NObis hactenus dixisse sit satis, sicque Deo bene iuuante ad calcem instituti à nobis operis peruenimus: Nã & de igne in Lunari concauo contra Neotericos, & de elementis, quatenus mundũ constituũt, itemq. quatenus mixta cõficiunt tractationem peregimus: item de eorum mixtione, & qualitatibusq. mixtiooem facientibus, necnon de qualitatibus mixtionem consequentibus, quibus vel apta vel inepta sunt mixta ad passionem quampiam recipipiendam.

Adiunximus breuem tractatum de complexionibus, quæ mixtionem sequuntur, quibus tum agunt, tum etiam patiuntur mixta corpora.

Postremo tractauimus de saporibus, odoribus, & coloribus, quæ communia quædam accidentia sunt mixtorum fere omnium, & quibus mixta immutare sensus possunt: vbi constitit, pressitque gradum nostrum hoc opusculum

quemadmodum in fronte statim lectoribus proposueram.

Supra hæc sunt naturæ, & propria accidentia mixtorum corporum omogeneorum, ac deinde natura plantarum & animalium quorum corpora organica sunt. Horum formationis, & figurationis causas superat vires calidi frigidi, humidi & sicci, mixtionique elementorum: sed naturæ artifici, viqùe generatiuæ est attribuenda.

Hæc omnia contemplatur philosophia, ex hisque ad vim cœlestium corporum, ac mentium illa mouentium, indeq. subuehitur ad primam rerum omnium causam.

Quare nunquam satis digne prout de hominum genera merita est, laudari poterit diuina hæc scientia, quæ homines euehit ad Dei immortalis commercium quoddam, & ad supremi summique boni cognitionem: quod tota natura appetit, cuiusq. præstantiam, & excellentiam exprimere, & imitari conatur pro viribus sibi tributis. Cui sẽper agendæ sunt gratiæ, & laudes decantandæ pro ineffabili eius bonitate, & innumeris bonis naturæ hominũ præstitis. Quorum præstantissimum iure existimari debet Philosophia, quæ nos efficit prope diuinos. FINIS.

Deo Opt. Laus inexplicabilis.

DOMI-

DOMINICI
PANAROLI
ROMANI
IATROLOGISMI
SIVE
MEDICAE OBSERVATIONES
Quibus additus est in fine.
PLANTARVM AMPHITEATRALIVM
Catalogus.

Ad Lectorem:

DVO esse in arte scientiam, & opinionem Archiater ille omnium maximus in libro de lege, tanquam ex Apollineo Tripode, pronunciauit, quarum altera scire facit altera vero ignorare; rectè equidem, nam, cum sint.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Alÿ opinioni, alÿ scientiæ adherentes præsertim Medici, cum sint nomine multi, re vera autem pauci, veritas ipsa quandoque, vt Virtus à Voluptate Deo, concultatur, secundum illud. Ouid.

Pro vitio Virtus crimina sæpe tulit.

Hinc illæ, vt ait Plinius, miseræ circa ægros sententiarū concertationes nullo idem censente, ne videatur assertio alterius, hinc illa infelicis monumenti inscriptio, turba se Medicorum periÿsse; nam, vt paulo post subdit, nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ, discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, Medicoque tantum, hominem occidisse

 sum-

summa impunitas est, cui concinnit illud.

His, & si tenebras palpant, est data potestas
Excruciandi ægros, hominesque impune necandi.

Tametsi pœnam nullam patiantur, nō idcirco impunes omnino vagantur, cū ignominia aliquando pœnarum, & tormentorum suppleat vices, vt Hippocrates in dicto libro asserit, dum ait, soli namque Medicinæ nulla pœna in Rebuspublicis statuta est, præter quā ignominiæ. Ob hanc causam igitur maximopere frequens est corporum sectio, vt in illa, tanquam in speculo, tum turpes quoad ignauiam respiciatur, & despiciantur: sed caueant Medici, nè ab imperitis talis sectio administretur, nam confusionem pariet, eritque error peiore prior, quoniam aut lacero, aut non obturato aliquo vase, aut disrupto, aut aliquo alio defectu commisso confunditur visio, veritasque ipsa difficillimè elucescit. Ideo experientiam rerum omniū magistram vnico consensu, tum veteres, tum seculi nostri homines omnes acclamarunt; ea etenim primordia, & rerum omnium rudimēta, aut verius dicas fundamenta ad sustinendas omnium, aut artium, aut virtutum, aut scien-

ſcientiarum moles, & oſtendit, & ſubminiſtrat.

Tanta eſt, ut veritate imbuta corpus proceſſu temporis ſicut illa Lauream de rebus omnibus triumphans adipiſcatur. Animam ipſa humano in corpore tenebroſis velis oculos adũbratam, meliore quo poteſt modo, ad cacumen luminis, quantum fas eſt, ſubleuat, & attollit.

Si verum igitur eſt, vt veriſsimum probamus, quod finis coronet opus, ea non ſolum ſaxa ruſtico quodam ordine, ad fundandas domos præparat, ſed fundatis ipſa, tanquam telis effigiatis mirandus Apelles, vltimam imponit manum.

Sed audias Lector præbere non debemus arma ignaris, qui ſolum aliquid experti cætera alicuius profeſſionis thooremata negligunt; ac ſi ſola experientia, vt in illis falſa, excelſiora ſcientiarum cacumina aſcendere audentes, vſque ad aſtra volitare credant ſuum nomen, dum nimio plus, quam par eſt auri cupiditate exæſtuãtes, non more Hippocratico maiorem habent rationem virtutis quam auri, ſed maior eſt ratio in illis auri, quam virtutis. Stulti: neſciunt cum Saluſtio, quod auaritia pecuniæ ſtudium habet, qua nemo ſapiens concupiſcit.

M 5 Ea

Ea quasi venenis malis imbuta corpus animum virilem effœminat: semper infinita insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur: sed sitis immẽsa sicut in Hydropicis maximoperæ illos cruciat, iuxta illud Horatianum.

Crescit indulgens sibi dIrus Hydrops.
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Medicus tum in theoria, tum in praxi versatus esse debet, quod si alterutrum claudicat tota corruit machina. Credas equidem Lector, quod optimum esset in Rebuspublicis aliquando ferulã componere, ad verberãdos multos Medicinæ Pædotribas, qui soli lucro innixi, Anatomes, Botanicæ, Astrologiæ, aliæque partis in medendis humani corporis morbis ignari, soli Practicæ, vt illa, quæ vulgarior facilior, & ignobilior circulatorum modo est adhærẽtes, cætera altiora, difficiliora, & nobiliora toto conatu, totis viribus aspernantur, &, vt suam litteraturã practicalem iactent, Medicos in vtroque versatos, ita sua lingua dilaniãt, vt eos à melioribus medelis perpetuo arceant. Querela vbi suas moliuntur lacerationes ea est, quod Medici Theoriæ adherentes ad Praxim inualidi sint, tanquam Hippocrates, Galenus;

&

& alij, Semimedici fuerint, nec mormos curauerint, illud Platonicum dictum continuo dicentes. Nemo ærarius simul, & lignarius faber fit, duas enim artes, aut studia duo diligenter exercere humana natura non potest. Optima similitudo. Plato dixit duas artes, non in eadem arte Theoricam, & Practicam. Sed ex Terentio in Adelphis.

Homine imperito nunquam quicquã iniustius,
Qui nisi quod ipse facit nihil rectum putat;

Tunc temporis audiendo hasce Pseudoiatrorum querelas tanquam Leo rugiens ad iram pronus, autrumque oris terribile ad aperiens in hostes pessimos sæuire vellem, vnguesque dilaniatrices corporibus suis perpetuò figere.

Ecquid, vt Petrus Castellus in abusu circa dierum criticorum enumerationem ait, censent sua somnia, sua entia rationis tanquam vera, & realia proponere? ecquid censent semper cum pueris loqui, quis hæc credat?

Praxis, qua ipsi vtuntur, trium dierum spatio ab homine, vel vilissimo, acquiritur: Cacopraxis est nihil valet. Eupraxis illa est, quę Theoricæ, vt circinus centro infixus circulum summa cum laude obseruando perficit.

Multa dicere, sed quia lethea obliuione sopiti post portem dormiunt, taceo flagellum abscondens, & conseruaus alio forsan tempore ipso, tanquã Iouis tricuspide fulmine, ad anguipedes necandos, vsurus. Gloriosum est venari Leones; vile animalia immũda sectari; stent suo sicut Ranæ luto inuoluti.

Eupraxi igitur, sicuti vrgentissimo calcari impulsus Lector benignissime obseruationes hasce, si non mirabiles (aut potius fictitias, vt credo, sicuti ipse pluribus in locis Authorum obseruaui) saltem verissimas nullo fuco, mendacioque ornatas tibi propono. Spero equidem in medendis humani corporis morbis beneficia allaturas esse, dum me tuæ benignitati, opusculumque hoc, qualecumque sit, propono & commendo. Vale.

IATRO-

IATROLOGISMORVM SEV OBSERVATIONVM MEDICINALIVM.

PENTECOSTE PRIMA.

Alui portentosa exsiccatio.

OBSERVATIO PRIMA.

NATVRAM semper gaudere consuetis asseruit Galen. in med. meth. sed veram non semper hanc sententiam probamus, cum in actionibus ipsius naturæ, quæ sunt teste ipso de nat. facul. generatio, auctio, & nutritio aliquando monstruosi, aut potius miraculosi aliquid innotescat fermè directè contra illud Plutarchi in symp. vbi ait. Quæ sunt secundum Naturam, eadem ordinata sunt, ac definita, cum Natura, aut ordo sit, aut ordinis opus; tamen multoties ipsa sine ordine generationem, auctio-

auctionem, & nutritionem compleri; sine ordine inquam, nam in medicina præstantes tot, tantaque monstruosa quotidie videntes non ordinatè, sed confusè potius esse factas existimabunt, cum totaliter regulis naturalibus repugnent, etsi Arist. 3. Phys. dicat nihil ordine carere, ex his, quæ sunt à Natura, & secundum Naturam.

Aluus ita ordinat est in animanti, vt, quotidie cibo, & potui sumpto respondens, per secessum feces, perque fistulam vrinariam lotium eijciat, quo vitiato confunditur ordo, & sanitas periculo proxima est; attamen ridiculam, sed in risu ipso mirabilem rem narro amici mei, cuius nomen, nè in lucem prodeat defectu, taceo, qui non solum decem, quindecim, aut viginti dierum spatio incolumis sine fæcis deiectione seruatus est, sed contigit aliquando, aluum ita exiccatam fuisse, vt vsque ad tres menses sanus perfectè extiterit. Rideas, & mireris Lector. Roma discedens Neapolim petiit, tandem reuersus est Romam, in quo itinere, cum elapsi tres menses fuissent, paruam feculentiæ quantitatem excreuit, absque eo, quod dignus esset ager Neapolitanus, quod suo stercore pinguesceret; nec dicas copiosè vrinam fluere, cum sit potius minoris,

ris, quam maioris quantitatis, quam decet.

Ordo hic nullus est, sicut Medici anatomici sentiunt, cum in cibis semper terrestreitatis magna portio existat, quæ, si à robusta Naturæ vi conuertatur in sanguinem processu temporis Natura agendo repatitur magna cum sanitatis noxa.

Attamen senex iste bene semper se habuit, & optima nunc fruitur valetudine.

Duo Lienes.

OBSERVATIO II.

NAtura, ex Plotini sententia, nihil agit, temere immo finem curat reijciens temeritatem, vt possit dici, Naturæ opera ad augendum semper, conseruandumque indiuiduum directa esse, cum propter aliquid, & melioris gratia semper fiant. Duos Lienes in iuuene mortuo contemplauit, alterum maiorem, minorem alterum. Maior constitutus in superiori Hipocōdrij sinistri regione totaliter à minori seiunctus erit, vt vnusquisque suos splenicos haberet.

sit, Anatomicis contemplandum relinquo.

Aristoteles supracitatus, lib. 4. c. 4. de gen. anim. ait renem alterum quandoque deficere, quod etiam confirmant Car. Steph. lib. 2. cap. 15. de dissectat. corp. hum. Fernelius lib. 1. cap. 7. suæ Physiologiæ, Vesallius, Columbus, & alij, quibus meam obseruationem adiungo.

Renem vnum in iuuene satis carnoso reperi non in medio spinæ, vt ab aliquibus visum fuit, sed in parte sinistra iustam quantitatem non excedentem, verum duo infundibula, duoque vreteres ab ipso originem trahebant alter in superiori, alter in inferiori eius parte, quorum inferior in sinistram, & superior in dexteram vessicę partem supra spinā transeundo sese insinuabat.

Vreteres quatuor.

OBSERVATIO IV.

F*Elix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

Adagium commune est, cum homines sæpe suo exemplo, suaque impensa discere quandoque cogantur, id Naturę euenire si quis diceret aliquando magnum

gnum non esset absurdum; Natura equidem videns, quod reperiantur sæpe in corporibus nostris fodinæ (vt And. Laurentius *lib.1. cap.3.* histor. anatom. ait) è quibus metalla, & lapides eruuntur; non ad ædificandam, sed ad diruendam domum, hæsitans, nè calculi, lapidesque retenti mortis causa sint, faciliorem quandoque viam inuenit, vt vrina obstructo vno vretere ex altero defluat: sed quid dicas in pluribus; certè (Poetarum more loquendo) quod timens Natura lapidum percussiones plurima itinera ad ruinam illorum fugiendam sibi parauerit.

Quatuor vreteres in anatomica sectione à me obseruati fuerunt duo in dextero, & duo in sinistro rene, quatuorque vrinæ infundibula, duo in superiori, & duo in inferiori renum parte, vrèteres vero duo in supremam, & duo circa mediam vessicæ regionem terminabant, ex quibus omnibus copiosè vrina ad infernas partes fluebat.

Fœtus

Fœtus ex vefsica aquæ plena asperæ arteriæ adhærete in vtero matris mortuus.

OBSERVATIO V.

QVotidie morimur, quotidie enim aliqua pars vitæ demitur, ac tum quoque cum crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam vsque ad hesternum quidquid transijt temporis perijt, nunc ipsum, quem agimus, diem cum morte diuidimus, ait Seneca epistola 24. nam cum homo ex Diuo Augustino in Matth. euang. fragilior sit vitreo vase, mali quædam fatalis portio omnibus nostris in rebus iam tum admiscetur cum nascimur, cum ipsa semina sint mortalia partem huius causæ sustinent, vnde prauitas ingenij, morbi, curæ, aliaque fatalia incommoda mortales insequuntur. Sed quid dicam in homine nondum nato? Tanta mortis debacchans, effrenataque vis est, vt ipsum, vel in matris aluo, nondum ad auras euocatum irreuocabili telo occidere valeat.

Mulierem satis laudatę sanitatis quinto mense abortientem vidi, cumque

fœtus

fœtus fere nullam in mortè mutationem persensisset, ipsum secui desiderio impulsus, an aliqua necis causa in tam robusto fœtu innotesceret, cum ipsius mater valida huiusmodi abortus nullam afferret causam: Secto corpore in cauitate thoracis, sub iugulo dextero lucidam vessicam aqua plenam arteriæ asperæ adherentem inueni, quæ copiosa humoris inundatione, quam recipiebat à capite, in pueris valde humido, e uentilationem cordis prohibuerat ipsum suffocando.

Vetula septuagenaria ab adolescentia eijciens menses per os.

OBSERVATIO VI.

NOui cum Pontano hominum labores, noui miserias, quibus, quid esse potest ærumnosius? iure igitur nedum recusem subire velle hominis affectus, perturbationes, ægritudines, nec animi minus, quam corporis, humanam vitam miseror, vt quam omni ex partu infelicissimam iudicem.

Miserrimus homo sæpe à morbo opprimi-

primitur, nec nisi alio morbo superueniente soluitur, quod mulieri accidit, quæ cum ab adolescentia nunquam menstruata fuisset, incidit in febrē, cum maximis ventris infimi doloribus, donec largè effluxo sanguine per vomitum sanata fuerit, verum singulis mensibus, vsque ad hanc ætatem (nam septuagenaria est) semper hoc modo menses excreuit magna cum intuentium, audientiumque admiratione.

Venter varicosus.

OBSERVATIO VII.

Qvanquam mulieres ex magnanimitate, virginitate, deuotione, pulchritudine, clementia, alijsque rebus laudentur, tamen propter generis humani conseruationem maximopere commendantur, mulieres enim Rebuspublicis immortalem constituunt vitā, quod optima ratione intelligens Romanæ Vrbi conditor (vt Albertus in sua margarita poetic. ait) quando fœminis careret, cum Sabinis, bellum graue inire non dubitauit, cognoscebat enim huiusmodi imperium, si mulieres non affuissent, paucissimis esse duraturum diebus: Verum quanto pulchrior generis

neris humani propagatio existit, tanto difficilior redditur, iuxta illud, difficilia, quæ pulchra, cum mater, non solum ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa sit, sed quandoque etiam labores, & dolores geminatos ad mortem vsque patiatur. Mulier quædam viginti quinque circiter annorum ob vteri angustiam maximè in partu periclitata est, ita vt nunquam pristinæ sanitati restitueretur; sed tribus post partum elapsis annis mortua est.

Miseria, quæ ipsam parientem, & post partum excruciauit, hec fuit. Venæ duæ serpentum more volubiles, tortuosæ, & varicosæ ab iliacis venis externè ad vmbilicum, vsque ascendebant, maiori crassitudine, quam digiti pollicis, quæ inspicienti similitudinem literæ Lambdæ Græcorum referebant; maximus deinde, secundum mulieris motum, fluxus, & refluxus fiebat, non sine magna ipsius patientis læsione; cum enim supina decumberet, statim syncope corripiebatur: quare necesse erat, aut in latus iacere, aut orthopneicorum modo cubare. Accidit aliquando, vt fortissimo deliquio corriperetur, & mortua est; secto cadauere venas illas alteram ab iliaca dextera, alteram a sinistra in vnum coeuntes globum in vmbilici regione obseruaui, ita vt quasi in magnā

cisternam terminarent: vmbilicus denique ipse aperto emerito vase (nempe vena vmbilicali) Iecur continuo impulsu sanguinis percutiebat, cum ipsa semper menstruata fuisset. Monstruosũ aspectu, tum ipsa viuente, tum mortua.

Vulneris cephalici mirabilis sanatio.

OBSERVATIO VIII.

LAtissimus est fortunæ campus. vt Io. Pontab. lib. 2. de fort. scripsit, & in his omnibus vires extendere, suumque imperium exercere valet, in quibus preter spem, opinionem, propositum, & constitutum aliquid accidere valeat, omninòue improuisum, & non modo in his patet vis illius, sed in quocunque hominum gradu, atque cõditione, summa, humili, ingenua, seruili, rustica, vrbana, plebeia, ac patricia. Ita latus est, vt etiã sanitas, & mors suo imperio regantur, quandoque enim ęgri citra spem omniũ, aut moriuntur, aut sanantur.

Iuuenis quidam è Sancto Vito vulneratus fuit instrumento (quod vulgo vocatur schioppo) à tergo: vulnus autem huiusce conditionis erat. Pila plumbea ingressa

modis, sæpe aliquid vtile, & sibi acmodatum eliciunt. Nusquam melior sententia Medicis anatomicis conueniens, quam ista, dum ex turpitudine, fæditate, & foetore in sectione cadaueris mel ad alijs ægris miserrimè cruciatis subueniendum quandoque colligatur.

In sectione quamplurimorum dysentericorum sanguis in intestinis tantum crassis obseruatus fuit, cur autem in crassis solum, & non in tenuibus, nulla alia ratione crederem, quam, quod humor corrodens in superioribus intestinis facillimè fluit, vnde non potest fieri excoriatio, & corrosio, vt accidit in crassis, precipueque in Colon, vbi propter anfractus, & concamerationes maximopere stagnans morbificus humor supra modum corrodit tunicas, vnde mucus, & sanguis effluit. Ideo clysteres abstergentes, aquasque thermales optimas existimarem, sicut optimas inueni, habita tamen, & non neglecta causæ morbificæ (vt Medici omnes prudentissimi sentiunt) ratione.

Mulier quinto menſe ſemper abortiens Phlebotomia præſeruata.

OBSERVATIO X.

COnſultare circa ea, quæ acciderunt in primis oportet, & tanquam in Talorum iactu, prout cecidit, quomodocunque rationem melius habere dicat, negocia diſponere iubet. Plato 10. de Repub. nam cum remedium aliquãdo non proficiat ad alterum tranſeundi optimum erit conſiliũ. Cum prægnantem mulierem quinto menſe vidiſſem abortui proximam, quæ quinquies prægnans abortum ſemper paſſa fuerat, conſiderando primum, quod nihil iuuarent remedia aſtringentia, tum interna, tum topica alias ab alijs Medicis adminiſtratæ, ſecundum, quod maximè ſanguis redundaret, ſecta fuit vena cubiti, non ſaphena, nè fieret abortus, & tute, nono menſe peperit filium viuum, & vitalem.

Cholera

Cholera sanguinea cum maximis symptomatibus Lapide hematite curata.

OBSERVATIO XI.

Dixit Ioannes Ouuenus huius sæculi Martialis Epigrammaton lib. vnico, loquendo de somno, & venere.

Vos consanguineas lethi dicam ne sorores,
Somne quies hominum, deliciæque Venus?
Indulgere iuuat Veneri, somnoq; iacentes:
Sternitur, & dulci lectus vtriq; malo.
Odit somnus iners, odit Venus improba lucem:
Est animi somnus Mors, animæque Venus.

verum, & animæ, & corporis intempestiua, illicitaque venus quãdoque mors est, sed relicto de nece animæ discursu Theologis, de corporea loquamur. Cornelius Balbus, vt ait Plin. lib. 7. cap. 53. & Q. Heterius Eques in coitu mortis fulmina passi sunt. Pindarus ille secundum Horatij elogium Lyrico-

N 2 rum

rum Princeps, vt aliqui sentiunt, in actu venereo animam expirauit; quod Tertullianus in Apol. Speusippo platonico contigisse narrat, multi etiam in aphrodisio amplexu mortui sunt, aut si non mortui in magna pericula, in graues morbos, in lethalia simptomata inciderunt, inter quos ferrarius quidam Vicouarij enumerandus est.

Is, cum ad vxorem suam satis formosam nouiter nuptam quotidie circa meridiem discedendo à fornace, quæ duobus ferè milliarijs erat longe, proficisceretur, accidit aliquando media æstate, dum ipsam nimio libidinis ardore accensus cognosceret, vt ingenti cum mortis periculo pericularetur. Nam copiosissimè per vomitum, & per secessum sanguis excernebatur, cum calor, & motus ora venarum aperuissent, nec alio nomine istum morbum, quam choleram sanguineam appellarem. Cum sanguine enim ad duodecim circiter libras eiecto maxima aderant symptomata, nempè pulsus deperditio, cum deiectione virium, facies hippocratica, sudor frigidus, & iam desperatus erat; tamen propinatis cum vino granatorum lapidis hematitis Srup. quatuor statim sanatus est magna omnium admiratione, quod hic, cui iam feretrum parabatur, è mortis laqueo ereptus cerneretur.

Macula

Macula Mali Punici miranda ex Matris malacia.

OBSERVATIO XII.

ET si non pauci fuerint, qui mulierum dotes, & excellentias vsque ad astra decantauerint, tamen è contra non defuerunt, qui ipsarum turpes libidines, rixas, clamores, vlulatus, veneficia, desidiam, iram, superbiam, inuidiam, gulam, aliaque vitia, satyras componendo palam demonstrauerint, vt Biblia aureà de fallacijs mulierum, Platina contra mores, Remigius Siluanus de mulierum malitia. Rinald. Olan. de arte meretricum, Ioseph Pass. In defectibus mulierum, Frideric. Fernandius de illecebris mulierum, alijque tum Historici, tum Oratores, tum Poëtæ, quos hic recensendi locus non est, & præcipuè nostro Erato ira accensa, & libidine conuicia in ipsas dicendi tota pruriens, aliqua hetrusco sermone composuit carmina, quæ forsan placente Deo cum alijs Permessidos laboribus typis mandata remedium incautæ, creduliqu iuuentuti amoris erunt, & quasi speculũ Rinaldo oppositũ, vt artibus Armidæ fallacis deceptus Heros ille magnus sese intuẽdo resipisceret. Sed præcipuè ob gulę intemperantiã

Tamen ex inſpectione cadaueris in ſectione ſalutare conſilium cęteris viuentibus ſępè carpitur: cum medicina, vt coniecturalis ſæpè anceps ſit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, ſemiſopitum, ſine ſenſu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua ſpes in phlebotomia illuceſceret, quoniam corpore eſſet quadrato, tamen renuente ſen ori medico, cum eſſem admodum iuuenis, timenſque illos cum Crinito, quibus iuratũ eſt, vt videri velint in alieno opere ingenioſi, & qui libidine magis accuſandi, quam rectè iudicandi oculos, linguã, & naſum ſæpe alienis in laboribus introducunt, phlebotomiam conſenſu ipſius reliqui, ipſi adminiſtrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyſt. med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, veſſicatia brachijs, & tibijs, columbũ per dorſum diſſectum, capiti applicatũ, abraſis prius capillis, & epithemata cordialia teſtibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus eſt.

Secto corpore nulla in epate, in cerebro, aut in corde lethali noxa percipiebatur; ſed venæ omnes internæ turgidæ ſupra modum ad immenſam magnitudinem excreuerant; ita vt aliquæ venæ, in

in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in isto cadauere crassitudinem pollicis æmularentur: quod optimè ostendit Galenus in commen. aph. 3. sect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum asserit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem: hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui, si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiusmodi dispositionem esse periculosam, cum enim vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta periculum est nè, aut ipsa dirumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturque sicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad summam repletionem venissent subita morte interierunt: vnde audactior factus in posterum duo ægri eodem morbo oppressi euacuatione per sanguinis missionem facta, vt ipsemet Gal. paulo post indicat pristinæ sanitati restituti fuerunt.

N 5 Vomica

Tamen ex inspectione cadaueris in sectione salutare consilium ceteris viuentibus sępè carpitur: cum medicina, vt coniecturalis sæpè anceps sit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, semisopitum, sine sensu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua spes in phlebotomia illucesceret, quoniam corpore esset quadrato, tamen renuente seniori medico, cum essem admodum iuuenis, timensque illos cum Crinito, quibus iuratū est, vt videri velint in alieno opere ingeniosi, & qui libidine magis accusandi, quam rectè iudicandi oculos, linguā, & nasum sæpe alienis in laboribus introducunt, phlebotomiam consensu ipsius reliqui, ipsi administrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyst. med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, vessicatia brachijs, & tibijs, columbū per dorsum diffectum, capiti applicatū, abrasis prius capillis, & epithemata cordialia testibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus est.

Secto corpore nulla in epate, in cerebro, aut in corde lethali noxa percipiebatur; sed venæ omnes internæ turgidæ supra modum ad immensam magnitudinem excreuerant; ita vt aliquæ venæ

in

in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in isto cadauere crassitudinem pollicis æmularentur: quod optimè ostendit Galenus in commen. aph. 3. sect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum asserit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem: hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui, si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiusmodi dispositionem esse periculosam, cum enim vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta periculum est nè, aut ipsa dirrumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturque sicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad summam repletionem venissent subita morte interierunt: vnde audactior factus in posterum duo ægri eodem morbo oppressi euacuatione per sanguinis missionem facta, vt ipsemet Gal. paulo post indicat pristinæ sanitati restituti fuerunt.

Tamen ex inspectione cadaueris in sectione salutare consilium cęteris viuentibus sępè carpitur; cum medicina, vt coniecturalis sæpè anceps sit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, semisopitum, sine sensu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua spes in phlebotomia illucesceret, quoniam corpore esset quadrato, tamen renuente seniori medico, cum essem admodum iuuenis, timensque illos cum Crinito, quibus iuratū est, vt videri velint in alieno opere ingeniosi, & qui libidine magis accusandi, quam rectè iudicandi oculos, linguã, & nasum sæpe alienis in laboribus introducunt, phlebotomiam consensu ipsius reliqui, ipsi administrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyst. med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, vessicatia brachijs, & tibijs, columbū per dorsum dissectum, capiti applicatū, abrasis prius capillis, & epithemata cordialia testibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus est.

Secto corpore nulla in epate, in cerebro, aut in corde lethali noxa percipiebatur; sed venæ omnes internæ turgidæ supra modum ad immensam magnitudinem excreuerant; ita vt aliquæ venæ in

in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in isto cadauere crassitudinem pollicis æmularentur: quod optimè ostendit Galenus in commen. aph. 3. sect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum asserit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem: hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui, si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiusmodi dispositionem esse periculosam, cum enim vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta periculum est nè, aut ipsa dirrumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturque sicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad summam repletionem venissent subita morte interierunt: vnde audactior factus in posterum duo ægri eodem morbo oppressi euacuatione per sanguinis missionem facta, vt ipsemet Gal. paulo post indicat pristinæ sanitati restituti fuerunt.

N 5 Vomica

Tamen ex inspectione cadaueris in sectione salutare consilium cęteris viuentibus sępè carpitur: cum medicina, vt coniecturalis sæpè anceps sit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, semisopitum, sine sensu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua spes in phlebotomia illucesceret, quoniam corpore esset quadrato, tamen renuente seniori medico, cum essem admodum iuuenis, timensque illos cum Crinito, quibus iuratũ est, vt videri velint in alieno opere ingeniosi, & qui libidine magis accusandi, quam rectè iudicandi oculos, linguã, & nasum sæpe alienis in laboribus introducunt, phlebotomiam consensu ipsius reliqui, ipsi administrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyst. med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, vessicatia brachijs, & tibijs, columbũ per dorsum dissectum, capiti applicatũ, abrasis prius capillis, & epithemata cordialia testibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus est.

Secto corpore nulla in epate, in cerebro, aut in corde lethali noxa percipiebatur; sed venæ omnes internæ turgidæ supra modum ad immensam magnitudinem excreuerant; ita vt aliquæ venæ

in

in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in isto cadauere crassitudinem pollicis æmularentur: quod optimè ostendit Galenus in commen. aph. 3. sect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum asserit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem: hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui, si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiusmodi dispositionem esse periculosam, cum enim vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta periculum est nè, aut ipsa dirrumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturque sicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad summam repletionem venissent subita morte interierunt: vnde audactior factus in posterum duo ægri eodem morbo oppressi euacuatione per sanguinis missionem facta, vt ipsemet Gal. paulo post indicat pristinæ sanitati restituti fuerunt.

rum Princeps, vt aliqui sentiunt, in actu venereo animam expirauit; quod Tertullianus in Apol. Speusippo platonico contigisse narrat, multi etiam in aphrodisio amplexu mortui sunt, aut si non mortui in magna pericula, in graues morbos, in lethalia simptomata inciderunt, inter quos laterarius quidam Vicouarij enumerandus est.

Is, cum ad vxorem suam satis formosam nouiter nuptam quotidie circa meridiem discedendo à fornace, quæ duobus ferè milliarijs erat longe, proficisceretur, accidit aliquando media æstate, dum ipsam nimio libidinis ardore accensus cognosceret, vt ingenti cum mortis periculo pericularetur. Nam copiosissimè per vomitum, & per secessum sanguis excernebatur, cum calor, & motus ora venarum aperuissent, nec alio nomine istum morbum, quam choleram sanguineam appellarem. Cum sanguine enim ad duodecim circiter libras eiecto maxima aderant symptomata, nempè pulsus deperditio, cum deiectione virium, facies hippocratica, sudor frigidus, & iam desperatus erat; tamen propinatis cum vino granatorum lapidis hematitis Srup. quatuor statim sanatus est magna omnium admiratione, quod hic, cui iam feretrum parabatur, è mortis laqueo ereptus cerneretur.

Macula

Macula Mali Punici miranda ex Matris malacia.

OBSERVATIO XII.

ET si non pauci fuerint, qui mulierum dotes, & excellentias vsque ad astra decantauerint, tamen è contra non defuerunt, qui ipsarum turpes libidines, rixas, clamores, vlulatus, veneficia, desidiam, iram, superbiam, inuidiam, gulam, aliaque vitia, satyras componendo palam demonstrauerint, vt Biblia aurea de fallacijs mulierum, Platina contra mores, Remigius Siluanus de mulierum malitia. Rinald. Olan. de arte meretricum, Iosdph Pass. In defectibus mulierum, Frideric. Fernandius de illecebris mulierum, alijque tum Historici, tum Oratores, tum Poëtæ, quos hic recensendi locus non est, & præcipuè nostro Erato ira accensa, & libidine conuicia in ipsas dicendi tota pruriens, aliqua hetrusco sermone composuit carmina, quæ forsan placente Deo cum alijs Permessidos laboribus typis mandata remedium incautæ, credulique iuuentuti amoris erunt, & quasi speculũ Rinaldo oppositũ, vt artibus Armidæ fallacis deceptus Heros ille magnus sese intuẽdo resipisceret. Sed præcipuè ob gulę intemperantiā

maximoperè deturpantur, vt inter cæteros Plautus in Curculione loquentem inducit Lenam anum vini odorem persentientem:

Flos veteris vini meis naribus obiectus est.
Eius amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Vbi vbi est, prope me est. Euax habeo. Salue anime mi.
Liberi lepos. Vt veteris vetusti cupida sum?
Nam omnium vnguentũ odor præ tuo nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.
Tu crocinum, & casia es, tu bdellium: nam vbi.
Tu profusus, ibi ego me peruelim sepultam.

Hæc plautus. Maximè intemperantes sunt, & eò magis, cum vtero gerunt: ita auiditatis incendio flagrant, vt persepè, si citò cupiditas illarum non expleatur, fædati, maculatique nascantur infantes. Tam ardens, tam inexplebilis vorago, vt iure possit dici,

Dirus amor matrum, & rabies insignis edendi.

Ad confirmationem historiarum, quas doctissimus vir nunquam satis laudatus Petrus Seruius in suo Vnguen-

to

to Armario cap. 72. 73. & 74. exponit similem fere casum recensebo.

Mulier satis formosa maculam Mali Punici in clune dextero ob matris malaciam habet, quæ, dum florent balaustia, rubescit, dum fructus ad maturitatem peruenerint, flauescit cum quibusdam granis miræ rubedinis, ita vt imaginem aperti mali Punici præsefcrat: hyberno tempore euanescit; ita vt nullum ipsius vestigium appareat, ac nunquam fuisse existimabis, donec redeũte vere florentibus balaustis, denuò quoquo anno rubescat.

Turgide vene suffocantes.

OBSERVATIO XIII.

LIcet aliquando infelix æger miserrimè quandoque pereat, vt iure cum Ouid. lib.2. de Ponto eleg.6. dici possit.

Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem saxa monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto,
Qua mea debuerat currere Cymba via?

N 4 Ta-

Tamen ex inspectione cadaueris in se-ctione salutare consilium cęteris viuentibus sępè carpitur: cum medicina, vt coniecturalis sæpè anceps sit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, semisopitum, sine sensu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua spes in phlebotomia illucesceret, quoniam corpore esset quadrato, tamen renuente seniori medico, cum essem admodum iuuenis, timensque illos cum Crinito, quibus iuratū est, vt videri velint in alieno opere ingeniosi, & qui libidine magis accusandi, quam rectè iudicandi oculos, linguā, & nasum sæpe alienis in laboribus introducūnt, phlebotomiam consensu ipsius reliqui, ipsi administrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyst. med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, vessicatia brachijs, & tibijs, columbū per dorsum dissectum, capiti applicatū, abrasis prius capillis, & epithemata cordialis testibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus est.

... nulla in epate, in ... ali noxa ... inte...

in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in isto cadauere crassitudinem pollicis æmularentur: quod optimè ostendit Galenus in commen. aph. 3. sect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum asserit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem: hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui, si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiusmodi dispositionem esse periculosam, cum enim vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta periculum est nè, aut ipsa dirumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturque sicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad summam repletionem venissent subita morte interierunt: vnde audactior factus in posterum duo ægri eodem morbo oppressi euacuatione per sanguinis missionem facta, vt ipsemet Gal. paulo post indicat pristinæ sanitati restituti fuerunt.

N Vomica

Vomica in testibus mulieris ex antiqua gonorrhea.

OBSERVATIO XIV.

QVanquam vulgi sententia sit gallicum morbum non occidere, tamen meretricius amor rectè cum Martiali temporis nostri poterit dici.

Spes incerta, timor constans, fugitiua voluptas,
Gaudia mæsta, dolor dulcis, amarus amor.

Mos erat antiquis, sicut etiam hodie, hinc inde ad amoris constantiam flores pro muneribus præbere; nusquam, & vspiam meliori modo amasia, vel amans in obiecti amati gratiam sese insinuabit, quam tribuere illi flores, quibus gallica lues in signum deuictæ Veneris, aut Cupidinis sertum componens, & imponens capiti suo gloriosè triumphat. Flores equidem, sed non à Flora potius aquis phlegetonteis à Megera irrigatos dixerim, nam si quis, & Titij, & Sysiphi, & Ixionis, aliorumque damnatorum (vt Pseudotheologiæ antiquæ vates fingebant) pœnæ in vnum coaceruarentur globum nescio; an magis, vel minus gallicorum doloribus responderent; nouum morbum esse semper existima-

ſtimabo, dicat quidquid velit Leonicenus in lib. de morb. gall. alio tempore fuiſſe, nunquam credam; argumenta enim ipſius ferè inualida ſunt, ac nullius probationis. Propter diuinam vltionem mortalibus hanc peſtem irruiſſe neſcio, nam antea fœda libidinis turpitudine maculati homines ad irrumationes, clinopaleſtras, alioſque modos, & obſcenitates inueniendas nullo parcebant labori; potius quaſi ferulam ad refrenandum, coercendumque illicitæ veneris concubitum à Deo, ſicuti à patre in filijs malè morigeratis verberandis inuentam credam. Sed variæ huius morbi ſunt quærelæ cum aliquando prætermiſſis alijs, infectis paulatim principalibus membris, præcipuèque cerebro, pectori, vel extremis partibus decidit pluuia, vnde aut leucophlegmatia, aut tabes, deinde mors, abſque eo, quod, nec iuncturarũ dolores, nec gonorrheã, nec capillorum defluuium, nec inguinum bubones, nec alia huius morbi lacrymoſa ſymptomata perſentiat meretricijs fraudibus inuolutus miſerrimus amans. Aliquando cum maximis dotoribus æger moritur; vt fœminæ contigit, quæ ex aſſidua gonorrhea circa vteri regionem atrociſſimos cruciatus patiebatur. Mortua ſecta, vomica in vnoquoque teſte inuenta fuit.

Mulier prægnans quinta vice, nunquam menstruata.

OBSERVATIO XV.

Ita vita est hominum quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod est maxime opus iactu non cadit
Illud, quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Dixit Terent. in Adelphis. Id quandoque etiam naturam facere verisimile est, nã, cum neceßaria sit, tum fætui nutriendo, tum matris sanitati, debito tempore menstruorum per commoda vasa excretio, aliquando sine vlla menstruorum deiectione, & fætum vitalem, & matrem bene valentem conseruat, vt prægnantem quinta vice mulierem obseruaui, non solum nunquam menstruatam, sed etiam probata sanitate fruentem.

Infortunia morborum.

OBSERVATIO XVI.

Qvanquam Socrates dixißet. Quæ supra nos nihil ad nos, tanquam innuißet non eße spectandos, contemplan-

plandos, aut considerandos, vt fallaces, & vanos astrorum, Cælique motus; tamen secundum sententiam D. Thomæ in summa contra gentiles cap. 82. Corpora cælestia causa sunt omnis alterationis, & omnis motus in hoc infimo mundo, sicut Scotus, qui affirmat Stellas habere actiones in Elementis, in rebus animatis, inanimatis, & sensitiuis in secundo sentent. def. 14. quæst. 3. quos mirè sequitur nostrorum temporum ingeniosus vir Ioannes Baptista Porta lib. 2. Mag. nat. c. 17. dum inquit. Non dubium reor infima hæc superioribus ancillari, & ab ætherea natura illa vim quamdam illabi, vt quæ mutationi obnoxia sint rata serie, & continua lege corrumpātur. Infortunium alicui membro sæpius notatum vidimus, cum ferè semper homines ex cephalico vulnere mortui omnes cum vna, aut pluri cicatrice antiqua inuenti fuerint. Mulieri bis fractam patellam, quæ a græcis Epigonatis dicitur vidimus; & relictis quamplurimis, Monachum Cisterciensem cognoui, qui cum lapidi cubitum fregisset narrabat se à puero simile infortunium plusquam decies vsque ad firmam ætatem, passum fuisse semper in eadem parte fractionis; nam intuenti cicatrices mirè ostendebat cubitus infortunatus.

Vessicæ

Vessicæ retundæ aquosæ supra corpus callosum.

OBSERVATIO XVII.

Non sic fulminis impetus trisulci,
Non pulsa scithico sagitta neruo,
Non sulcus rapidè cadentis astri,
Non fundis Balearibus rotata
Vnquam sic liquidos Poli meatus
Rumpit plubea glandium procella;

Vt ait Sidonius quomodo hominum vita leuissimè currit, immò in medio cursu fatalis Parcarum Atropos vitale stamen inopinatè quandoque rescindit; vt possit cum Horatio Carm. libro 2. od. 13. dici.

Quid quisq; vitet nunquam homini satis
Cautum est in horas. Nauita Bosphorum
Pœnus perhorescit, neque vltra
Miles sagittam, & celerem fugam
Parth: catenas Parthus, & Italum
Robur: sed improuisa Lethi
Vis rapuit, rapietque gentes.

Sacerdos quidam in fine consecrationis stolidus, cũ magna admiratione factus, & paulò post tempore apoplecticus breui mortuus est. Secto cadaueris capite vessicæ aliquot rotundæ albidæ humoris

ris pituitosi repletæ supra corpus callosum inuentæ fuerunt, quas huius lethalis morbi immediatam causam fuisse existimatum fuit.

Tumba deleteria.

OBSERVATIO XVIII.

Licet in meæ Aerologiæ cap. 10. hunc enumerauerim casum: tamen vt Alexander Trallianus lib. 2. cap. 1. asserit, nè qui in hũc librum inciderint aliun de colligere cogãtur, denuò hic sub cribam. Cum in Ecclesia D. Francisci de Paula in Exquilino monte propè S. Petrum ad Vincula magnus puerorum ex variolis mortuorum numerus sepultus fuisset, aer ibi cõclusus breuissimo temporis spatio ita pestilens euasit, vt, dum pueri sepelliendi causa in tumbam descenderet Vespillo repentè mortuus ceciderit, quem non redeuntem Pater illorum quidam videns, curiositate impulsus scalæ aliquot gradus descendit; sed cum circa medium ipsius scalæ fuisset, ita venenoso ab aere oppressus fuit, vt quasi mortuus caderet. Sed meliori, quo potuit modo, aliorum auxilium implorans, ad os ipsius tumbæ, non sine magna difficultate ascendit, maximo

cum

maximoperè deturpantur, vt inter cæteros Plautus in Curculione loquentem inducit Lenam anum vini odorem persentientem:

Flos veteris vini meis naribus obiectus est.
Eius amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Vbi vbi est, prope me est. Euax habeo. Salue anime mi.
Liberi lepos. Vt veteris vetusti cupida sum?
Nam omnium vnguentũ odor præ tuo nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomũm, tu rosa.
Tu crocinum, & casia es, tu bdellium: nam vbi.
Tu profusus, ibi ego me peruelim sepultam.

Hæc plautus. Maximè intemperantes sunt, & eò magis, cum vtero gerunt: ita auiditatis incendio flagrant, vt persepè, si citò cupiditas illarum non expleatur, fædati, maculatique nascantur infantes. Tam ardens, tam inexplebilis vorago, vt iure possit dici,

Dirus amor matrum, & rabies insignis edendi.

Ad confirmationem historiarum, quas doctissimus vir nunquam satis laudatus Petrus Seruius in suo Vnguen-

to-

to Armario cap. 72. 73. & 74. exponit similem fere casum recensebo.

Mulier satis formosa maculam Mali Punici in clune dextero ob matris malaciam habet, quæ, dum florent balaustia, rubescit, dum fructus ad maturitatem peruenerint, flauescit cum quibusdam granis miræ rubedinis, ita vt imaginem aperti mali Punici præseferat: hyberno tempore euanescit; ita vt nullum ipsius vestigium appareat, ac nunquam fuisse existimabis, donec redeũte vere florentibus balaustis, denuò quoquo anno rubescat.

Turgidę venę suffocantes.

OBSERVATIO XIII.

LIcet aliquando infelix æger miserrimè quandoque pereat, vt iure cum Ouid. lib. 2. de Ponto eleg. 6. dici possit.

Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Vt fera vitarem saxa monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto,
Qua mea debuerat currere Cymba via?

Tamen ex inspectione cadaueris in sectione salutare consilium ceteris viuentibus sepè carpitur: cum medicina, vt coniecturalis sæpè anceps sit, medicique etiam, vel probatæ doctrinæ quandoque decipiantur. Aegrum morti proximum, semisopitum, sine sensu, & motu, triginta circiter annorum vidi, cumque aliqua spes in phlebotomia illucesceret, quoniam corpore esset quadrato, tamen renuente seniori medico, cum essem admodum iuuenis, timensque illos cum Crinito, quibus iuratũ est, vt videri velint in alieno opere ingeniosi, & qui libidine magis accusandi, quam rectè iudicandi oculos, linguã, & nasum sæpe alienis in laboribus introducũt, phlebotomiam consensu ipsius reliqui, ipsi administrando, vt calor natiuus (vt ille aiebat) excitaretur, primo clyst. med. ligaturas dolorificas, cauterium in nucha, vessicatia brachijs, & tibijs, columbũ per dorsum diffectum, capiti applicatũ, abrasis prius capillis, & epithemata cordialia testibus, extremis partibus, & vltimò cordi cum vnctione cordiali; quibus omnibus optimè paratis æger mortuus est.

Secto corpore nulla in epate, in cerebro, aut in corde lethali noxa percipiebatur; sed venæ omnes internæ turgidæ supra modum ad immensam magnitudinem excreuerant; ita vt aliquæ venæ

in

in alijs corporibus exiles, ac paruulæ, in isto cadauere crassitudinem pollicis æmularentur: quod optimè ostendit Galenus in commen. aph. 3. sect. primæ loquendo de habitu athletarum, dum asserit: athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnam corpori molem adijcere, & (vt liquere potest) humorum multitudinem: hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui, si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, vt corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiusmodi dispositionem esse periculosam, cum enim vasa cibis, ac potibus fuerint supra modum repleta periculum est nè, aut ipsa dirrumpantur, aut calor natiuus suffocetur, extinguaturque sicuti olim, & athletæ quidam, qui cum ad summam repletionem venissent subita morte interierunt: vnde audactior factus in posterum duo ægri eodem morbo oppressi euacuatione per sanguinis missionem facta, vt ipsemet Gal. paulo post indicat pristinæ sanitati restituti fuerunt.

Vomica in testibus mulieris ex antiqua gonorrhea.

OBSERVATIO XIV.

QVanquam vulgi sententia sit gallicum morbum non occidere, tamen meretricius amor rectè cum Martiali temporis nostri poterit dici.

Spes incerta, timor constans, fugitiua voluptas,
Gaudia mæsta, dolor dulcis, amarus amor.

Mos erat antiquis, sicut etiam hodie, hinc inde ad amoris constantiam flores pro muneribus præbere; nusquam, & vspiam meliori modo amasia, vel amans in obiecti amati gratiam sese insinuabit, quam tribuere illi flores, quibus gallica lues in signum deuictæ Veneris, aut Cupidinis sertum componens, & imponens capiti suo gloriosè triumphat. Flores equidem, sed non à Flora potius aquis phlegetonteis à Megera irrigatos dixerim, nam si quis, & Titij, & Sysiphi, & Ixionis, aliorumque damnatorum (vt Pseudotheologiæ antiquæ vates fingebant) poenæ in vnum coaceruarentur globum nescio; an magis, vel minus gallicorum doloribus responderent; nouum morbum esse semper existima-

ſtimabo, dicat quidquid velit Leonicenus in lib. de morb. gall. alio tempore fuiſſe, nunquam credam; argumenta enim ipſius ferè inualida ſunt, ac nullius probationis. Propter diuinam vltionem mortalibus hanc peſtem irruiſſe neſcio, nam antea fœda libidinis turpitudine maculati homines ad irrumationes, clinopaleſtras, alioſque modos, & obſcenitates inueniendas nullo parcebant labori: potius quaſi ferulam ad refrenandum, coercendumque illicitæ veneris concubitum à Deo; ſicuti à patre in filijs malè morigeratis verberandis inuentam credam. Sed variæ huius morbi ſunt quærelæ cum aliquando prætermiſſi, alijs, infectis paulatim principalibus membris, præcipuèque cerebro, pectori, vel extremis partibus decidit pluuia, vnde aut leucophlegmatia, aut tebes, deinde mors, abſque eo, quod, nec iuncturarũ dolores, nec gonorrhea, nec capillorum defluuium, nec inguinum bubones, nec alia huius morbi lacrymoſa ſymptomata perſentiat meretricijs fraudibus inuolutus miſerrimus amans. Aliquando cum maximis doloribus æger moritur; vt fœminæ contigit, quæ ex aſſidua gonorrhea circa vteri regionem atrociſſimos cruciatus patiebatur. Mortua ſecta, vomica in vnoquoque teſte inuenta fuit.

Mulier prægnans quinta vice, nunquam menstruata.

OBSERVATIO XV.

ITa vita est hominum quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod est maximè opus iactu non cadit
Illud, quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Dixit Terent. in Adelphis. Id quandoque etiam naturam facere verisimile est, nã, cum necessaria sit, tum fætui nutriendo, tum matris sanitati, debito tempore menstruorum per commoda vasa excretio, aliquando sine vlla menstruorum deiectione, & fætum vitalem, & matrem bene valentem conseruat, vt prægnantem quinta vice mulierem obseruaui, non solum nunquam menstruatam, sed etiam probata sanitate fruentem.

Infortunia morborum.

OBSERVATIO XVI.

QVanquam Socrates dixisset. Quæ supra nos nihil ad nos, tanquam annuisset non esse spectandos, contemplan-

plandos, aut considerandos, vt fallaces, & vanos astrorum, Cælique motus; tamen secundum sententiam D. Thomæ in summa contra gentiles cap. 82. Corpora cælestia causa sunt omnis alterationis, & omnis motus in hoc infimo mundo, sicut Scotus, qui affirmat Stellas habere actiones in Elementis, in rebus animatis, inanimatis, & sensitiuis in secundo sentent. def. 14. quæst. 3. quos mirè sequitur nostrorum temporum ingeniosus vir Ioannes Baptista Porta lib. 2. Mag. nat. c. 17. dum inquit. Non dubium reor infima hæc superioribus ancillari, & ab ætherea natura illa vim quamdam illabi, vt quæ mutationi obnoxia sint rata serie, & continua lege corrumpatur. Infortunium alicui membro sæpius notatum vidimus, cum ferè semper homines ex cephalico vulnere mortui omnes cum vna, aut pluri cicatrice antiqua inuenti fuerint. Mulieri bis fractam patellam, quæ a græcis Epigonatis dicitur vidimus; & relictis quamplurimis, Monachum Cisterciensem cognoui, qui cum lapidi cubitum fregisset narrabat se à puero simile infortunium plusquam decies vsque ad firmam ætatem, passum fuisse semper in eadem parte fractionis; nam intuenti cicatrices mirè ostendebat cubitus infortunatus.

Vessicæ

Vessicæ retundæ aquosæ supra corpus callosum.

OBSERVATIO XVII.

Non sic fulminis impetus trisulci,
Non pulsa scithico sagitta neruo,
Non sulcus rapidè cadentis astri,
Non fundis Balearibus rotata
Vnquam sic liquidos Poli meatus
Rumpit plùbea glandium procella;

Vt ait Sidonius quomodo hominum vita leuissimè currit, immò in medio cursu fatalis Parcarum Atropos vitale stamen inopinatè quandoque rescindit; vt possit cum Horatio Carm. libro 2. od. 13. dici.

Quid quisq; vitet nunquam homini satis
Cautum est in horas. Nauita Bosphorum
Pœnus perhorescit, neque vltra
Miles sagittam, & celerem fugam
Parth: catenas Parthus, & Italum:
Robur: sed improuisi Lethi
Vis rapuit, rapietque gentes.

Sacerdos quidam in fine consecrationis stolidus, cū magna admiratione factus, & paulò post tempore apoplecticus breui mortuus est. Secto cadaueris capite vessicæ aliquot rotundæ albidæ humoris

ris pituitosi repletæ supra corpus callosum inuentæ fuerunt, quas huius lethalis morbi immediatam causam fuisse, existimatum fuit.

Tumba deleteria.

OBSERVATIO XVIII.

Licet in meæ Aerologiæ cap. 10. hunc enumerauerim casum: tamen vt Alexander Trallianus lib. 2. cap. 1. asserit, nè qui in hūc librum inciderint aliunde colligere cogatur, denuò hic subscribam. Cum in Ecclesia D. Francisci de Paula in Exquilino monte propè S. Petrum ad Vincula magnus puerorum variolis mortuorum numerus sepultus fuisset, aer ibi cōclusus breuissimo temporis spatio ita pestilens euasit, vt, dum pueri sepelliendi causa in tumbam descenderet *Vespillo* repentè mortuus ceciderit, quem non redeuntem Pater illorum quidam videns, curiositate impulsus scalæ aliquot gradus descendit; sed cum circa medium ipsius scalæ fuisset, ita venenoso ab aere oppressus fuit, vt quasi mortuus caderet. Sed meliori, quo potuit modo, aliorum auxilium implorans, ad os ipsius tumbæ, non sine magna difficultate ascendit, maximo

cum

cum vitæ suæ discrimine. Quod cum vidisset Vespillonis amicus quidam temerariè descendens in sepulcrum, ibi diem suum clausit extremum.

Carbonum fumo suffocatus, vitæ restitutus,

OBSERVATIO XIX.

QVæ acciderunt, accidere possunt; aurea sententia Fabius ille Romana in Rep. maximus mirè pronunciauit. Cum enim secundum Aristotelem Retho. r. primo è similibus rebus, similia euenire consueuerint, mirandum non est, si antiqui sæculi exempla nostris diebus aliquando redeant. Legeram in Ambrosio Pareo tract. de renunt. Iouinianum Imperatorem media hyeme Romam properantem fessum de via in Pago Dadastanis, qui Bythinos à Galatis diuidit, decubuisse in cubiculo recens constructo, in quo ob id calcis resiccandæ gratia magna vis carbonum accensa fuerat: eam verò noctem illi in vita postremam fuisse, suffocato nempè ipso de media nocte tetro illo ignis carbonarij vapore. Legeram inquam, & ecce, cum aliquando alia mens cogitabat, accidit ad vnguem idem casus, sed contrario exitu,

exitu, cum iste ad vitam, ille ad mortem terminauerit.

Rusticus quidam in ædibus DD. de Mutis propè Ecclesiam Sanctorum duodecim Apostolorum, cum sub fornice, cubiculi recenter constructi, vt illic, & calce incrustati carbonem admisisset, atque vna nocte decubuisset, mane ferè mortuus inuentus est sine pulsu, motu, atque sensu, totus frigidus cũ spuma circa os apparẽte, cũque accersitus fuissem illum à tetro carbonum fumo in corde efferuescente suffocatum existimans, quamuis non videretur adesse remedio locus; nam Sacerdotes pro anima diuinũ auxilium iã iam expiratura implorabãt tamẽ audax factus asserendo melius esse tentare præsidiũ aliquod, quam ipsũ deploratum relinquere, directè contra illud axioma, quod deplorati sunt prognostico relinquendi, nè infamentur presidia, quę multis fuere causa salutis & vt aliqua fieret vno, & eodem tempore virtutis excitatio, exhalatio, transpiratio, & respiratio, his remedijs vsus sum, quibus diuino fauente Numine à mortis falce præoccupatus ab *Inferis* reuocatus est.

Primum secta fuit vtriusque cubiti vena applicatis interim coxis, & cruribus primo cucurbitulis postea ligaturis dolorificis, atq; eodem tẽpore in anum

sup-

ſuppoſitoria glande immiſſa, cumque ſanguis primo non flueret: lintea linea aqua calida madida ſuper inciſionem apponi iuſſi, quo facto paulatim ſanguis fluere cœpit, atque in ipſa phlebotomia pulſus aliquo modo rediens indicauit mihi, vt largè effluere ſanguinem permitterem, quod fieri ad duas circiter libras iuſſi: dum hæc agerentur flabello refrigerari aerem iuxta os ſuum mandaui, dum alius ſæpè frigidæ aquæ aſperſione à longe vultum percutiebat; Poſtmodum cum pulſus iam melior eſſet, cauterium in nuca fieri iuſſi; quibus remedij breuiſſimo tempore conualuit. Sed hic duo notanda; primum quantum ex frigidæ aſperſione motum, & leuationem haberet, quod ex igne extremè dolorifico non accidebat. Credo equidem hac ratione, quoniam cor calido vapore oppreſſum efferueſcebat, ideoque ab igne nullus fiebat motus, ſed in frigida irrigatione contrarium erat, quoniam, cum aqua ſit frigida, & humida, ratione contrariorum calidos, ac ſiccos halitus contemperat, reuocatque ſpiritus diſſipatos ad cor, vt ait Ceſalpinus de venenis cap. 46. Secundum, quod, etſi Hipp. aph. 43. ſect. 2. affirmet ſuffocatos non referri ad vitam, quibus ſpuma circa os apparet; tamen Hipp. ſententia erronea non eſt, cum, vt ait Galenus in

com-

comment. eiusdem aph. non tanquam semper intereant, sed quod contra rarissime eueniat, Hipp. ita pronunciet: hoc, vt sciat Lector, sententias ipsius neque nimis pertimescendas, neque temerè sumendas, sed contemplari, an rationi respondeant; multoties enim, propter nostram imperitiam non intelligitur. Hipp. enim ex numero eorum est, qui loquendo, tanquam Oraculum, aut Rex cum maiestate intelligi vult.

Ventriculus corrosus sicuti ab igne.

OBSERVATIO XX.

Ex *alijs sumere exemplum sibi*, Iubet Terentius in Adelphis, idcirco optimum esse in cardiaca passione, affirmandum est, annuere cibum, aut potum aquarum refrigerantium, cum spiritu calcanti, etiam in principio accessionis, cum cibus, & potus tunc temporis, non vt nutrimentum, sed vt medicamentum ad biliosi humoris acrimoniam contundendam propinetur, multoties enim tanquam ab igne corroditur ventriculus, cardiacam patientibus miserrimis ægris, quod in sectione anatomica

amica perspicuum fuit, præcipueq; in iuuene quodam viginti circiter annorũ, cui spatio viginti quatuor horarum mortuo, secto, inuenta fuit interna ventriculi tunica absque muco, sicuti ab igne corrosa.

Puer strumosus.

OBSERVATIO XXI.

FAbulentur Græciæ ingeniosi Atlantē Cælum humeris sustinuisse, vt Virg. lib. 6. Aeneid.

Vbi Cælifer Atlas
Axem humero torquet Stellis ardentibus aptum,

Quem sequitur Statius lib. 8. Theb.

Astriferunque domos Atlanta supernas ferræ laborantem, &c.

Vel Herculem viribus fortissimum post multas Iunonis nouercæ insidias, multosque passũ labores, Cælum etiam, vt Lybicum gygantē nè laberetur firmiter sustulisse, secundũ illud Glaudiani.

Firmior Herculea Mundus ceruice pependit.

Nos etiam nostro sæculo (si fas esset Aonia Lyra canere) Atlantes, & Hercules, non ad sustinendam mundi machinam, sed potius, vt Enceladum, aut Tiphœum à mole carnea, instar mundani globi, tan-

tanquam ab ingenti ſaxo, dirutos,&oppreſſos, miramur; inter quos puer ſtrumoſus duodecim annorum enumerandus eſt, cui ab ineunte ætate ſtruma ſupra humerum ſiniſtrum hinc inde ad pectus, &ad dorſum vergens in tantã mole excreuerat, vt quadraginta ferè libris ponderaret. Mortuo ſecto cadauere, ita firmiter ſtruma coſtis adherebat, vt trãſacta prius atrophia dilatationem ipſarũ ad reſpirandum prohibuiſset. Struma porrò ſubſtantiæ cartilaginoſæ erat, vt gladio maximè reſiſteret; ſed mirũ audias Lector; quam rectè, & quam doctè puer iſte ante mortem loqueretur: credo equidem hoc eueniſse, quoniam purgato capite, materia ex illo ad ſtrumam quotidie fluente, optima fieret ratiocinatio.

Vomitus mirandus.

OBSERVATIO XXIII.

Nihil propè homini cõtigere poteſt, quod in ſe non habeat aliquid difficultatis, vt etiam in maxima lætitia ſit quædã, vel parua quærimonia, quædã mellis, & fellis coniunctio. Ita decreuit Apul. 4. Florid. cum enim ex Ariſt. 7. pol. tria bonorum genera eſse oporteat externa ſcilicet, corporis, & animi, ſæpè vnum

vnum ex ijs deficit, vt in hoc casu videbimus.

Amicissimus quidam meus fortunæ mediocris, non in diuitijs maximis, neque in sũma ægestate cõstitutus, magna (si in terris reperitur) fruitur fœlicitate, cũ multa sint ex sentẽtia Phocilidis mediocribus optima, quoniam, vt ait Salustius, quibus opes nullæ sunt bonis inuident, malos extollunt, vetera odere, noua exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba, atque seditionibus sine cura aluntur, quasi diceret infelicissimos esse, & loquendo de diuitibus. Pro ijs, ait, nos habemus luxuriam, atque auaritiam publice ægestatem, priuatim opulentiam, laudamus diuitias, sequimur inertiam, inter bonos, & malos nullum discrimen est, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Amicissimus itaque meus, cum mediocris sit status totum ad felicitatem capessendam incumbit animum, quæ ab Horatio describitur epod. 2.

Beatus ille, qui procul negocijs
(Vt prisca gens mortalium)
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore:
Neque excitatur classico miles truc,
Neque horret iratum mare
Forumque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

Re-

Relictis cæteris, nè tædio Lectori simus quæ sequuntur: ille enim ad vnguem huiusmodi vitam gerit; non illum auaritia, aut ambitio torquet, sed genio indulgens optimam, fœlicitati proximam transigit vitam. Sed rosæ spinas, & mella aculeos habent. Sanitas illi probata non est, cum quotidie viginti ab hinc annis vomitum molestissimè patiatur, vt surgens è lecto ita turbatus sit, ac propè stolidus, vt interroganti aliquando contraria respondeat; sed digitis vomitu prouocato, & materia excreta, vsque in diem sequentem benè se habet: caput, quod prius doluerat non amplius dolet, nausea in appetitum conuertitur & bene concoquendo requiescit, donec redeunte matutino tempore, ad pristinum vomitum redire oporteat. Natura enim hanc viam ipsi olim ægro didicit, cum enim chronico morbo laboraret, nec vnquam sanitati restitueretur, immo maximos capitis dolores nauseam, & atrophiam, non sine febre, patiebatur, accidit aliquando, vt vomeret, meliusque se haberet, quo facto, vsque ad præsentem diem eodem modo prosecutus est. Materia quotidie per vomitum expulsa, alba, nullius saporis, ponderosaque est, vt intuenti albumen ouorum præseferat, sed in terram prolapsa processu temporis in tartarum

con-

conuertitur, & lateres corrodit. Septennem vomitum in puella Sanctorum quatuor Coronatorum absque vlla noxa obseruaui, non vt istum matutino tempore ieiuno corpore, sed statim post cibi exibitionem; cum enim tempore erumpentium menstruorum nulla fieret eorum euacuatio Natura portionem cibi, & chyli, qui debuerat in sanguinem conuerti quotidie per vomitum eijciebat, donec septem elapsis annis tandem erumpentibus menstruorum fæcibus, vomitum amiserit, pristinam acquirens valetudinis benignitatem. Mirum quantum Natura viuentibus opituletur, vt materia primitiua menstruorum, quæ quantitate obruere, & fœdare natiuum calorem poterat, quotidie simili vomitu statim à cibo sumpto sine vllo virginis damno ab ipsa eijceretur.

Ex imperitia obstetricis procidentia vteri cum sterilitate.

OBSERVATIO XXIII.

IN qualibet arte, & facultate loquendo cum Pontano lib. 1. de fort. ei fides maximè est habenda, qui in illa

d.u-

diutissimè, ac diligentissimè versatus fuerit, plurimaque etiam expertus, neque enim alia ratione artes inuentæ sũt, ab experimentis enim ortæ sunt institutiones, ac præcepta, eaque ab obseruatione longissima sumpta, longissima inquam, cum hominis vnius vita ad obseruandum quidquid perfici in arte potest, inualida sit, & impotens. Ideo si quid in dies obseruatur cæteris (ad hoc, vt ars ad subliminiora fastigia extollatur) relinquitur; cum ex Platone epist. 9. considerare oporteat, nullum nostrum sibi soli natũ esse, & quod cum Pontano supracitato lib. 2. liber nihil est homine dignius, quam hominum calamitatibus moueri, ac succurrere, neque aliud, in quo vberiorem sibi gratiam compareт, quam beneficandi ratio, atque voluntas, nam hominum necessitates ridere, ipsisque, cum possis, minimè succurrere quid est aliud, quam hominem exuere, & ferarum induere immanitatem.

Sæpius à me animaduersum fuit ob imperitiam obstetricis parturientes mulieres maximos passas labores, præcipuè prolapsum vteri ad infernas partes, cum non molliter, & paulatim, sed aspere, rusticoque modo illas tractent, quod contigit præcipuè mulieri cuidam, quæ ob violentem obstetricis manum vteri procidentia laborauit, adeò vt sterilescẽs

O nun-

nunquam priſtinæ ſanitati reſtituta fuerit, ſicuti etiam ſæpè ob acrimoniam Clyſteris, aut glandis ſuppoſitoriæ, propter copiam ſalis gemmæ, vel trociſcorũ Alhand. præcipuè pueri, ani procidentiam paſſi ſunt Rectiùs, & tutiùs eſse exiſtimabo, ſi menſtrua, aut ſecundæ in mulieribus non eijciantur, vel ſi áluus nimium exiccata fuerit, vti medicamentis laxantibus potius, quam mordicantibus, nè ægrum in grauiſſima pericula ducamus, cum Natura emollientia, & laxantia medicamẽta facilè admittat cũ effectu aliquo abſque nulla patientis noxa.

Aura veneanta in corporibus noſtris genita vitam de medio tollens.

OBSERVATIO XXIV.

HAec vita cum D. Auguſtino ad Fra. in Erm. eſt humilis laborioſa fragilis, & moleſta, caduca, ac miſera, deceptrix, tque doloſa, & ærumnarum plena, in luctu naſcimur, in labore viuimus, & in dolore morimur, cum fine lite, atque offenſione nihil gignat Natura parens, ſecundum Franciſci Fetrar. ſententiam. Sic eſt enim, & ſic propemodũ vniuer-

vniuersa testantur: rapido stellæ obuiant firmamento, contraria inuicem elementa confligunt, terræ tremunt, maria fluctuant, aer quatitur, crepant flammæ, bellum immortale venti gerunt, tempora temporibus concertant secum singula, nobiscum omnia, sed non solum aer, elementa, & animantia cum nobis classicum canendo bellum gerunt, sed corpus nostrum nihil aliud est, quam hostiũ inter se decertantium miserrima domus. Sat morti forsan non fuit tot venena ad hominum perniciem fabricasse, nam miseri homines vbi vertuntur vndique ipsa armata ad suum interitum respiciunt; veluti cultelli parte infecta veneno, parte altera verò non, vt Mercurialis lib. 1. de venenis cap. 77. affert, vel nummo argenteo ad innocentis pueri mortem veneno asperso, vel contactu, concubitu, alijsque similibus, nisi ipsa etiam in corporibus nostris pullularent. Modicæ sunt hominum vires, curæ inanes, labor supra laborem, & mors crudelis, & ineuitabilis inest.

Aura venenata in visceribus nostris genita aliquando repentè hominem interimit, vt possit dici, cum Pontano lib. 2. de fort. vt florum sic hominum caduca, & fragilis est Natura.

Hæc ex aliqua màteria putrescente paulatim ad gradum veneni ascendente

O 2 eleua-

eleuatur, quo facto mors statim subsequitur, & licet fiat corporum sectio, tamen noxam lethalem in membris principalibus percipere aliquando non poteris, cum sit flatus quidam a toto genere prçter naturàm, absque eo, quod latitans materia præcipuè in mesenterio nunquam inditium aliquod futuræ mortis ante ipsam ostendat: quod confirmat Gal. in 1. prorrhet. Hipp. comment. 2. dicendo: nam causæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur potentia, virtuteque tum virus rabidorum canum, tum lethalia ea medicamenta, repræsentant, quæ, etsi in affecto loco nullum protinus, quod notabile sit, pariant symptoma, post quatuor tamen, vel sex menses, vel longinquiorem temporis vsuram hominem perimunt. Corpulenti verò plus quam alij hanc miseriam patiuntur. Tutum esset, si aliquod signum, aut signi vmbra, aut suspectus perciperetur, alixiterijs vti medicamentis, ad hoc, vt Natura veneno resisteret, quod accidisse Mithridato Regi scimus, qui, cum à Romanis superatus veneno mori decreuisset, nunquam ob frequentem sui antidoti exhibitionem potuit.

Scroti

Scroti sphacesati ex gallico morbo non sine magno vitæ discrimine sanatio.

OBSERVATIO XXV.

MVlier, vt ait Chrysostomus, est amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tétatio, desiderabilis calamitas, domesticũ periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta, malum omni malo peius, sic loquitur Agamenõ lib. x. Odisseæ apud Homerum.

Nihil fæmina grauius, nihil peius.

Quod confirmat Seneca in Hyppol. dicens,

Dux malorum fæmina, & scelerum artifex.

Quid si antiqui gallicam luem cognouissent? Certè homines, sicut aues ab ipsis illaqueatos dixisent, quod mirè profert Plautus in Asinaria Lenam hoc modo iuuenem àlloquentem inducens.

Non tu scis? hic noster quæstus aucupÿ simillimus est.
Auceps quando concinnauit aream offundit cibum;
Aues assuescunt. Necesse est facere sumptum, qui querit lucrum.

Sæpe edunt, semel si sunt capitæ re-
soluunt aucupi.
Itidem apud nos. Aedis nobis area est,
auceps sum ego.
Esca est meretrix, lectus illic est, a-
matores aues.
Bene salutando consuescunt, compel-
lando blanditer,
Osculando, oratione vinnula, ve-
nustula.

Donec miseri quasi turdi edaces amoris meretricij causa acerbissimas dent pœnas, quorum vnum hic enumerabo.

Iuuenis quidam, cum mulierem gallica lue affectam quotidie cognosceret, post leuem quamdam gonorrheam scroti inflammationem passus est, quam paulo post corruptio, & putrefactio consecuta est, febre maligna superueniete, donec iã lethalibus symptomatibus correptus, triduo absq; cibo, & potu steterit, ab omnibus iam, præterquam à Sacerdote derelictus. Transacto tertio die scrotus vndique corruptus paulatim cecidit, remanentibus interim testibus nudatis, qui carnea quadam tunica pellis instar postmodum à Natura cooperti fuerunt, & pauca cæpit comedere, tandem triginta circiter dierum spatio iudicatus, & gallico morbo liberatus, in posterum optimam sanitatem consecutus est.

Aquæ

Aquæ acetosæ (vulgo) dictæ incommoda.

OBSERVATIO XXVI.

QVamuis multorum sententia sit, aquā acetosam, quæ extra portam Flaminiam iuxta Tiberis vndas fluit, morbis omnibus optimam esse aspiciendo carmina, quæ ibi scripta sunt, nempe.

Renibus, & sthomaco spleni, iecorique medetur,

Mille malis prodest ista salubris aqua.

Tamen non illam, quæ ex huius aquæ potu vtilitatem sibi pollicentur homines consequuntur, cum sæpius obseruatum sit huiusmodi aquæ potatores in hydropē incidisse, cum enim Natura ad largè bibendum assuefiat, postea homines vexante siti à potu immoderato abstinere nequeunt, vnde hydropici, & cacoethici facti miserrimè pereunt. Auriga quidam iuuenis, qui adhuc, sed infeliciter viuit, ex huius aquæ frequenti haustu, cum prius bene se haberet, nunc calculo vessicæ laborat: Cum tamen omnium hominum opinio contraria sit, quod calculis, tam renum, quàm vesicæ maximè opituletur. Vulgi sententia quandoque erronea est, sicuti aquę tiberinæ potus ab aliquibus optimus existimatur; cum tamen

aqua pessima sit, nam multarum aquarum etherogenearum coaceruatio est, & si intus sumatur, non sine magna sanitatis noxa propinatur.

Dilatatio vessicæ ter obseruata semper in mortem desinens.

OBSERVATIO XXVII.

Sicut Mercator tranquillum mare, Miles victoriam, Auarus opes, Ita æger sanitatem optat, sed aliquando non ex voto sanitas aliquando diu expectata succedit, & sicut ait Horat. in canidiæ responsione, dum ait

Ingrata misero vita ducenda est, in hoc
Nouis vt vsque suppetat doloribus.
Optat quietẽ Pelopis infidus pater,
Egẽs benigne Tantalus sẽper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti.
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum, sed vetant leges Iouis.

Ita posset dici ægrotantibus. & præcipue ijs, qui dilatationem vessicæ patiuntur, quibus paulatim minuitur vrina, & supprimitur, vt nequeant, nisi immissa fistula mingere, & pedetentim post dilatatio-

tationem inflammatur vessica, corrumpitur, & sphacelatur, donec moriantur. Tres hoc morbo interemptos vidi, quibus vessica ad vmbilicum vsque extensa erat, vt maximam vrinæ quantitatem, viginti circiter libras quandoq; retineret.

Morbus initio leuis videtur esse momenti, cum paruu tumore intra pecten, & vmbilicum eleuato, qui, dum æger per fistulam mingit euanescit, & liberati censentur, cum melius se habeant, & sint sine febre, sed omnes postea moriuntur.

Tertianarius quidam quartadecima die optimè iudicatus xv. die cholera superueniente mortuus.

OBSERVATIO XXVIII.

HOc præcipuè gloriari potest humana conditio, vt inquit Ioannes Picus in Hept. vt illi seruire nulla creata substantia dedignetur, huic terra, & elementa, huic bruta præsto sunt, & famulantur, huic militat Cælum, huic Angelicæ mentes salutem, bonumque procreant. Sed ex D. August. in Psal. 29. omnis hominum abundantia est calamitas, ac miseria.

Omnes vna manet nox,

Et calcanda semel via lethi.
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti:
Exitio est auidis mare Nautis.
Mixta senum, ac iuuenum densantur funera, nullum
Sæua caput Proserpina fugit

Immo, dum è mortis falce se ereptos credunt ab ipsa enecantur.

Iuuenis quidam febre tertiana simplici laborans septimo circuitu iudicatus est, vt sanum ipsum firmiter censeremus, cum decimaquarta die perfectè iudicatus fuisset, tamen decimaquinta die noctu repentè cholera correptus fuit cum deiectione viriū, pulsu myuro, facieque Hippocratiea, vt infra decem horas perierit. Delitescunt in corpore nostro putredines, quæ differentes à febrium putredine virus rabidorum canum repræsentant, & longo temporis spatio interimuit, vt dixit Gal. à me supracitatus in obseruatione 24. adeo, vt in quantum attinebat ad tertianam perfectè iudicatus esset, sed in quantum latitabat venenum differens à tertianaria putredine mortuus est.

Arte-

Arteriotomia temporum Phreniticis optima.

OBSERVATIO XXIX.

DEmens est artifex ille, qui non à suis operibus, sed aliunde honorem expectat. Sic comprobat Marsilius Ficinus lib. 4. epist. quoniam, vt ipse in Plat. ait, Nemo vnquam aliquam artem, aut inuenire, aut discere potest, nisi inuestigationis oblectatione, & inueniendi desiderio excitetur: tum itaque in doloribus oculorum præcipuè ex causa calida arteriotomiam temporum à scholasticis autoribus comprobatam optimam inuenirem, eandem etiam in phreniticis magna cum fælicitate expertus sum. Tanta est arteriæ temporum sectio, vt ab ipsa vexati statim aliquando resipiscant, & breui tempore conualescant. Ratio in promptu est, quoniam ignei, & vaporosi humores illi, qui vrinas albas linquendo ex hipocondrijs caput petentes meninges inflammant, arteriotomia refrigerantur magis, quam venæ sectione.

Mulier cacoetica parenchimatibus multis obstructis exercitio plus, quam alio sanatâ.

OBSERVATIO XXX.

CORporis habitus ocio, ac torpore corrumpitur, exercitatione vero, ac motu plurimum conseruatur, ita docet Plato in Theet. ignauia enim ex sententia Corn. Celsi lib. 1. corpus hebetat, labor firmat.

Cum mulier quædam duodecim ab hinc annis male semper se haberet, & quotidie, quantò plus medicamina adhiberet in deterius laberetur cum Iecur, Lien, Mesenterium, totumque denique Hypocondrium ita obstructum, & durum esset, vt tangenti non secus, quam saxum aliquod præseferret. Si eam vidisses Lector intra mensem ad summum morituram affirmasses. Ipsi ne deplorata censeretur, &, vt aliquo leuaretur solamine iussi, vt quotidie (nam plus quam opus erat ocio indulgebat) sese ambulando excitaret, quo facto in posterum venter emollitus est, & quamuis nunc viuens vetula admodum sit, tamen hac regula satis commoda fruitur valetudine.

Cor

Cor torrefactum in iuuene febre ardentissima mortuo repertum.

OBSERVATIO XXXI.

HEu *quam breuis occidit ætas?* Martialis lib,6.epig.in Rufi morte non sine lachrymis cecinit, cum ipsa ex Seneca in Thebaide sit

Sagitta qualis parthica velox manu
Excussa fertur, qualis insano ratis
Premente vento rapitur; aut qualis cadit
Delapsa Cælo stella cum stringens Polum
Rectam citatis ignibus rumpit viã.

Iuuenis quidam intra triduum febre ardentissima, maximisque symptomatibus correptus mortuus est. Secto corpore cor torrefactum Pyri tosti imaginem repræsentans absque vlla Pericardij aqua inuentum fuit. Quod ad vnguem aliquando notauit Iordanus lib.1.cap.16. de peste Phenom.

Fulsus

OBSERVATIO XXXIII.

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiã illa, quæ futura sũt
Prospicere, &c.

Rectè asserit Terentius in Adelphis. Ideo in tactu pulsus optimum esse, sicuti Medici omnes sentiunt, vtrosque pulsus tangendos esse, cum sæpè, aut ob decubitum, aut ob aliquam causam pulsus sint diuersiformes.

In iuuene quodam capitis leui dolore correpto pulsus dexteræ manus rectè se habebat, sinister autẽ pessimus, omnique parte inordinatus erat, quem cum tetigi miratus sum, sed statim obstructionem alicuius materiæ circa arteriam axillarẽ esse, & ab ipsa confusionem spirituum vitalium fieri cogitaui, non intrà cauitatem thoracis, nam facilè febris accensa fuisset, quod pulsus dexter rectus non indicabat, non in brachio, nam facilè visu, aut tactu cognosci poterat, & ecce vocatus Medicus quidam, tangendo tantum sinistræ manus pulsum ipsum deploratum me præsente iudicauit. Quo facto illum vocaui, & me rogante dexterum pulsum tangen-

tangendo obstupuit. Sequenti die apostema sub axillæ glandulis in cordis (vt aiunt) emunctorijs conspicuum fuit, subitoque pulsus sinister ad naturalem statum pulsui dextero conformis redijt.

Epilepticorum optimum remedium.

OBSERVATIO XXXIII.

QVis nescit Medicum (vt Beroaldus inquit) ad omnes totius ciuitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem pertinere, cum summatibus, infimatibus, viris, fæminis, senibus, pueris, ægrotare contingat, cum omnes ex hoc vtilitatem indiscriminatim petãt, meritoque dici potest, Medicum rerum communem terrarum esse, & profectò, si vera respicimus, si cuncta curiosè perpendimus, sola Medicina, soloque Medico opus est omnibus. Verum quanto vtilior Medicina Reipublicæ est, tantò difficilior, cum, vt alias dixi, vnus homo ea perfectè aggredi nequeat, possitque dici cum Virgilio in Pharmaceutria.

Non omnia possumus omnes.

Cum quotidie e perientia faciliorem artem reddat. Ideo, vt probat Bartholomæus à Casseneo 28. consideratione deci-

decime partis inter plures Doctores pre-feruntur, qui libros composuerunt, cum sint maximo honore digni, cum sint velut Stellæ in firmamento Cæli. Daniel 13. Non enim (vt paulo post subdit) solum sibi laborant, sed omnibus exquirentibus veritatem, & semen eorum in chartis perpetuo manet, & quilibet Lector inde metens potest sumere incrementa, vt mihi contigit.

Cum epilepticus quidam piscator bis, ter, & sæpius quotidie quandoque tali morbo corriperetur, nec radix Peoniæ, cranium humanum, Alcis vngula, aliaque remedia à multis Auctoribus enumerata iuuarent, accidit fortè, vt legere in historia plantarum Fabij Columnæ, in cap. de Fhu. Dioscoridis hæc verba. Præter has vires plantæ huic tributas addo, & hanc proprietatem iamdiu in multis, atque memetipso expertam, vt pulueris radicis plantæ huius spontè ortæ extirpatæ, antequam caulem edat cochlerarij dimidium cum vino, aqua lacte, aut alio quouis decenti succo, & ægroti commoditate, & ætate semel sumptum, aut bis Epilepsia correptos liberet, hanc exhibendam pueris, & præsertim infantibus hoc morbo facilè laborātibus, quibus lacte propinandum puluerem iussi, amicis dono dedi, qui deinde diuino prius Numine fautore glorificato,

pul-

puluere huius plantæ illis restitutam sanitatem affirmarunt. Hoc, & alijs adultis nonnullis. Hæc sunt ipsius verba, & sicut ipse iubet, ita dedi, & sanatus æger est, & in posterum fœliciter hoc remedio vsus sum; sed aduertas Lector, vt planta sit sponte orta, efficacior enim est, quam sata, & extirpata, antequam caulem edat: virtus enim tota in radice est; si alia alio modo vtaris, inualidum remedium erit, non superstitione aliqua, vt fœminæ facillime crederent, sed Physicis rationibus supracitatis.

Triplex Tertiana.

OBSERVATIO XXXIV.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Ideo genio indulgendum, & ad gaudia carpenda Horat. lib. 1. carm. od. 4. Sextium hortabatur, quem sequitur Martialis Epigram. lib. 10. dum mortem, nec appetendam, nec timendam his verbis concludit.

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundissime Martialis hæc sunt,
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager; focus perennis

Las

Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis torus, attamen pudicus,
Somnus, qui faciat breues tenebras,
Quod sis esse velis, nihilque malis,
Summũ nec metuas, diẽ nec optes.

Hanc vitam quantum potui sequi conatus sum, sed non ex voto omnia succedunt, cum enim essem alienis iuribus addictus, necesse mihi fuit quandoque, diuersas Europæ partes peragrare, non sine magna sanitatis (vt peregrinantes plus quam alij experiuntur, & sciunt) læsione, nequo illam, quam Martialis hic describit fœlicitatem vitæ consecutus sum, immo potius fortunæ ludibrium in graues, maximis cum molestijs, morbos incidi, inter quos vnus fuit à Gal. enumeratus lib. 2. de crisibus cap. 9. idest triplex tertiana, quæ ad vnguem, vt ab ipso enumeratur, in memetipso solum, non in alijs expertus sum: excepto hoc, quod v. g. prima tertiana, nondum terminata, secunda aderat, sed secunda consumata quietem habebam, donec adueniente tertia, non magni momenti, vt prima, & secunda, in maiorem quietem desinebat, ita vt intra primam, & secundam

nulla

nulla daretur quies, intra secundam verò, & tertiam, & intra tertiam, & regressum primæ optimè intermissione quieta frueretur. Quæ febres in duas tertianas intermittentes conuersæ postmodùm chronicæ factæ exercitio plusquam alio medicamine fugatæ euanuerunt.

Vulneratus lapide in pectore per triduum aphonos redditus Phlebotomia sanatus.

OBSERVATIO XXXV.

Qvam benè Saturno viuebant Rege priusquam
Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum ceruleas pinus cõtempserat vndas,
Effusũ ventis, præbueratq; sinũ.

Et paulo post Tibullus lib. 1. in eadem Elegia 3.

Nunc Ioue sub domino cædes, & vulnera semper,
Nunc mare, nunc lethi, mille repente viæ.

Vt posit meritò cum Iuuenale dici,

Sed iam serpentum maior concordia, parcit,
Cognatis maculis similis fera. Quando Leoni,

For-

Fortior eripuit vitam Leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica Tigris agit rabida cum tigride pacem,
Perpetuam: ſæuis inter se conuenit Vrſis.

Ita homo crudelis, & bellorum amator eſt, vt atrocior, quam feræ omnes pacem fugando alieno ſanguine gaudeat. Non enim àmplius homines hominum cauſa generati ſunt, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſsint, ſed continua bella gerendo alij alijs damnum, & interitum pariunt.

Miles quidam ab alio milite lapide vulneratus fuit in pectore, ita fortiter, vt iam exhalantem animam ipſum viderem, tamen ne æger nullo tentato remedio miſerrimè periret, atque ne ſanguis maxima ſui copia vitalem facultatem obrueret phlebotomiam brachij illico iuſſi, qua facta melius ſe habuit, ſed per triduum aphonos, ideſt ſine voce, remanſit. Tertio die elapſo vox redijt, & magno cum omnium ſtupore ſurgens è lecto optimè conualuit.

Senex

Senex ſeptuagenarius pleuriticus Diarrhea ſanatus.

OBSERVATIO XXXVI.

SIcut Horatius Carm. lib. 1. od. 5. ex amore Pirrhæ, tanquam ex naufragio ſe ereptum his verbis prædicat,

Me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Ita ſeptuagenarius Senex Pleuriticus dicere poterat: diarrhea enim ſuperueniéte magno cum omnium ſtupore iudicatus eſt, nam in tam ſene, perque loca in conuenientia criſis, & liberatio facta erat.

Valeriola eodem morbo laborantem copioſo alui fluxu ſanatum exponit lib. 1. obſer. 4.

Vomica in Hepate.

OBSERVATIO XXXVII.

GEnerosum eſt aliquando alterius dictis parere, vt iubet B. Ignatius.

Nulli, vel minimo quauis ratione repugnes,
Cedere te potius, quam ſuperare iuuet.

Vel, vt ait Ouid. lib. 2. de arte amand.

Cede

Cede repugnāti cedēdo victor abibis.

Quoniam, vt ait Tullius, est non modo liberale paululum nonnunquam de suo iure cedere, sed interdum etiam fructuosum. Verum regula ista potius ad fundandas amicitias, quam ad alia vera est: Vrbanitas enim, & affabilitas maximopere in obsequio consistunt. Sed cum de rebus arduis (sicut in medicina de vita hominum) disputatur, obstinatis quandoque aduersari maximè necessariū, & gloriosum erit, eoque magis resurget splendor, quando exitus acta probat, & magna consolatio est, sicuti scribit Cicero ad Toranium, cum recordamur, etiam si secus acciderit, nos tamen verè, rectèque sensisse.

Cum æger temperamento bilioso triginta quinque circiter annorum corpore squallido inflammatione hepatis laboraret, Medicus ex numero eorum, qui magnæ admirationis sunt, quo ad pondus scilicet, pleuritide excruciari eum asseruit, & temerè vsque ad patientis mortem suæ opinioni absque vlla ratione adhærebat, deceptus forsan, quia aderat febris, pulsus durus, difficultas respirandi, & dolor in superiori parte thoracis; quibus signis, quasi vere pathognomonicis calidis remedijs vsus est, me semper renuente, dicebam enim in maximum discrimen ægrum nos esse allaturos, si talia ipsi

exhibe-

exhiberemus: administranda potius esse refrigerantia, quæ igneitatem hepatis aliquo modo extinguerent. Anatomica enim sectio, qua polleo, alias mihi annuebat indicationes, ex qualibet enim inflammatione, etiam minimi digiti fieri potest febris: inflammato suspensorio hepatis per consensum, cum sit membrana, potest fieri pulsus durus: difficultas porrò respirandi, & dolor pectoris circa clauiculam dexteram non magnæ erant considerationis; cum enim hepar communicetur peritoneo, indeque cum pleura, quæ nil aliud est, quam animalium partium peritoneum, mirum non est, si ipso accenso dolor circa clauiculam persentiatur, & difficultas adsit respirandi.

Aderant præterea alia signa, quæ si accuratè ab illo ignauiæ, & ambitionis craso farcimine enucleata fuissent, æger ille forsan viueret, sicuti dolor acerbus supra regionem hepatis, calor immodicus, vomitus biliosus cum cardialgia, diarrhea biliosa, postmodum disenteria cum siti, vigiliaque intolerabili, atque totius corporis emaciatione, tandem post quindecim dierum spatium magna puris graueolentis quantitas per aluum excreta fuit, quam paulo post mors subsequuta est.

Secto meis manibus cadauere D. Nicolaus

colaus Latcheus eximiæ famæ Chirurgus se hunc casum alias vidisse asseruit, vomica enim in hepate cum maxima puris coacervatione inuenta fuit, obmutescente illo Silenophoro. Similem fluorem, sed cum diuerso exitu accidisse Illustrissimo Domino Annibale Bentiuolo à Tiberio à fonte exercitatissimo Medicinæ Doctore audiui. Ille enim cum dolore supra vmbilicum circa ventriculi fundum vexaretur copiosa puris deiectione per secessum liberatus est.

Cum tamen quidam inurbanè pus esse negaret, asserens in mesenterio nullam conspicuam cauitatem esse, & nullum abscessum ibi fieri posse. Quod quam vanum sit legentibus sequentem obseruationem relinquo absq; alijs argumentis, ne Lectorem longitudine discursus suffocemus; nam si sub oculo nulla cauitas conspicua est & calculus ibi oritur, referat mihi rationem, quare materia apostematum fluidior, quam calculi materia, in mesenterio, vbi multæ venæ, & multæ tunicæ sunt (cum cauitatibus, etiamsi optimè inspiciamus) coaceruari non possit.

Rationem nullam reddidit, sed quia suæ leui opinioni innitebatur, in terram corruit.

Calcu-

Calculus sub oculo natus, per os eiectum.

OBSERVATIO XXXVIII.

Non tot attica mella, littus algas,
Montes robora, Ver habet colores,
Non tristis Hyems riget pruinis,
Autũnus grauidis tumet racemis,
Nõ tot spicula Mædicis pharetris,
Non tot signa micat iacente noctu,
Non tot æquora piscibus natantur,
Non Aër tot aues habet serenus,
Non tot Oceano mouentur vndæ,
Nõ tantus numerus Libisse arenæ.

Vt inquit Marullus, quot infortunia, & morbi homines excruciant. Forte parum erat lapides ad miseriam humanam augendam in renibus, vesica inueniri, nisi ipsa in cæteris corporis partibus pullularent. Calculum sub oculo natum in mnliere vidi, qui non sine dolore paulatim supra maxillam superiorem descendens, tandem per os excretus fuit: lapis vero cineritij coloris maximã, duritiem habebat.

Melonum pernicies.

OBSERVATIO XXXIX.

NVnquā ita quiſquā bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quæ te ſcire credas neſcias,
Et quæ tibi putaris prima in experiundo repudies.

Ait Terent. in Adelphis.

Cum ego, vt vulgus ſentit; Melones omnibus fructibus anteponendos crederem experientia comprobaui omnibus poſtponendos eſſe, cum ingeſti ſæpe magnorum morborum, & mortis quandoque cauſa ſint.

Iuuenis quidam, cum in cibis plus quā conuenit melonibus vteretur, aliquando in choleram incidit, & breui horarum ſpatio mortuus eſt. Secto corpore infinita porraceæ bili copia in cyſti fellea ſthomaco, atque inteſtinis inuenta fuit; caueant igitur quantum poſſunt homines, ne poſtmodum in maxima pericula incurrant; optime enim hoc iubet Cardanus de malo medendi vſu cap. 7. his verbis. Cum vero conſideras paruitatem radicis, & ſtipitis eximiæ magnitudinis eius habita ratione, & quam pro-

Proximus terræ sit, & quod super eam perpetuò iacet, & quod ab omni aeris qualitate permutatur, & quod augmentum eius est velocissimum confiteri cogeris, melonem nil aliud esse, quam putridum terræ humorem aliena qualitate coloratum, vitia omnia habentem, noxiū ventriculo, iecori, spleni, intestinis, pulmoni, renibus, vessicæ, humores non solum putridos; sed venenosos, fluxusque facientem, ad febres acutas pestilentiales, ad apostemata, ad dolores, ad difficultates intestinorum paratissimum, à nullo Authore, quamquam egregiè tamen satis vituperatum, noxas omnes horari fructus tanto habes ampliores, quanto eius, magnitudo succi multitudo, paruitasq; causæ, concoquentis omnibus alijs fructibus maior est. Adde: quod nulli potui recte sociatur, nam cum vino humores pessimos producit, vesicæ maxime obest, & iecori, & renibus, & phlegmones gignit: cum aqua leuitates intestinorum Cœliacum morbum, difficultates intestinorum, appetitus deiectionem subitò operatur. Quod autem Hippocrates consulit rectum est, vt parū deterior, non multo deterior cibus sit præeligendus: bonitas autem saporis, & odoris mansuetudo in eodem genere, vbi ad iudicandam salutarem vim multum droficiunt; at in diuersis generibus

neqaquam, siliqua enim exitialis est cibus. si Galeno credimus, & fungi, & tubera, boletique, & melongena: nemo tamen salubri cichorio, ptisanaque hordeacea negabit esse gratiora.

Consilium igitur meum est, vt non solum dimittatur, sed ab vso humano explodatur, etiam Principum decretis. Nã, quæ lues est perniciosior, qua quotannis multa millia hominum pereunt? Mirumque, quod à Medicis hæc pernicies consulatur, omissis vuis, & ficubus eiusdem temporis fructibus longe minus noxijs.

Phreniticus imprudenter olei potu sanatus.

OBSERVATIO XL.

QVos ratio non sanat interdum temeritas adiuuat, ait Cornel. Cels. Fortuna enim ex Ausonio,

Nunquam sistit in eodem gradu,
Semper mouetur, variat, & mutat vices,
Et summa in imũ vertit, ac versa erigit.

Quod confirmat Boetius lib. 2. de cons. mat. 1.

Sic illa ludit, sic suas probat vires,

Mag-

Magnumque suis monstrat ostentũ: si quis,
Visatur vna stratus, & fœlix die.

Ita ad vngem accidit aliquàndo phrenitico cuidam, qui cum pessimè se haberet imprudenti olei potu alui fluore oborto sanatus est.

Vermium copia mirabilis.

OBSERVATIO XLI.

Partium humani corporis, vt inquit And. Laur. lib. 1. cap. 2. Simmetria, & proportio est mirabilis: hanc vnā pro exēplari sibi ob oculos proponunt artifices; ad hanc, tanquam Polycleti regulam omnia referunt architecti. Templa, ædes, machinas, nauigia construunt; verum aliquando ita confunditur, & discrasia introducitur, vt lethales, deplorandosque morbos pariat.

Febre duplici tertiana continua correptũ mortuũ secui, in quo quanta esset vermium copia dictu incredibile est, ipsi enim in vētriculo, & intestinis cōglomerati, atq; coaceruati per Oesophagũ ad os, vsq; ascenderant absq; eo, quod alexiterijs remedijs copiosè ęgro administratis enecati fuissent. Vermes porrò ex materia etherogenea genitos aliquos albos, aliquos rubros, & alios nigricantes aspeximus.

Apostematis purulenta materia circa genu regionem per secessum excreta.

OBSERVATIO XLII.

Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti decem,

Qui audiunt, audita dicunt, qui vident planè sciunt.

Stratophanes miles in Truculento apud Plautum sic loquitur. Verum aliquando fides etiam illis, qui non vident, sed audiunt adhibenda est, eoque magis, cum ab homine fide digno aliquid accepimus: est enim, vt ait Aristoteles 1. reth. natura comparatum, vt probis, & honestis viris credamus, non solum in his rebus, quæ certæ, exploratæque sunt, sed etiam in ijs, quæ in vtramque partem asseruntur opinionis arbitrio; Pithagoras enim fidem amoris fundamentum esse dicit, eaque sublata tota amicitia, Lex, Ius, Vis, ac ratio perit.

A D. Ferrante Serronio probatissimo, fideque dignissimo Chirurgo, sequentem Obseruationem accepi. Cum vir quidam apostemate circa genu regionem torqueretur, iamque suppuratum esset, vt ferro aperire, Medicis annuentibus

Chi-

Chirurgus censeret, sed iam labente in mare Sole, & in Occasum die tumoris sectio procrastinata fuit. Mane redeuntibus Medicis, & Chirurgo (mirandum dictu!) tumorem euanuisse, & pius per secessum euacuatum reperierunt. Legas, & consideres Lector, quomodo, & per quas vias materia purulenta in cauitatem hipograstij, inde per intestina remeans per anum excreta fuerit de quo, qua ratione posſit fieri, & an, & quomodo materia in thorace contenta, vel per anacatharsim, vel per vrinam, per sinistrum cordis ventriculum, & arteriam magnam, per arterias, & venas phrenicas, per ramum azygos venæ renali coeuntem, inde per venas emulgentes scilicet, vel per secessum per abscessum, aut paracenthesim aliquando, & de pleuritide ipsa altius disseremus.

Herpes Ventriculi vomitus quotidiani, & mortis causa.

OBSERVATIO XLIII.

HOmo nunquam est in vita, ex quo est in corpore isto; potius moriente, quam viuente. D. August. 13. de Ciuit. Dei sic fatetur: Vita enim, vt ipse

in meditationibus ait est misera caduca, incerta, laboriosa, immunda, malorũ domina, superborũ regina, plena erroribus, quæ non est dicenda vita, sed mors, in qua singulis momentis morimur, quã humores tumefaciunt, dolores extenuant, ardores exsiccant, cibi inflant.

Vir quidam quotidie mane, & vespere post prandium, & cænam vomitũ patiebatur, in atrophiã tandem transiens, post sex menses occubuit. Secto corpore in stomaco internè circa Pylorũ, ianitorẽ (vt aliqui) dicunt herpetem inueni, vnde quotidianus vomitus post modum atrophiæ, & mortis causa oriebatur.

Pancreas lapidosum.

OBSERVATIO XLIV.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

Vt canebat Virgil. in Daphni, semper erit, quomodo sentit Sillius lib. 3.

Luctus edax, maciesque malis, comes addita morbis.

Vetula quædam vomitum quotidianum, vt in superiori Obseruatione diximus post prandiũ, & cęnã patiens in atrophiã, (idest priuationem nutritionis) & maciẽ inci-

incidens, tandem mortua est: secto cadauere pancreas ita durum inuentum fuit, vt lapidem æmularetur: ob hanc igitur causam vomitus oriebatur; cum enim pancreas sit stomachi puluinar, vẽtriculus concoctionem ob ipsius duritiẽ celebrare non poterat, sed indignatus omne, quod accipiebat, vomebat.

Aranearum morsus lethalis.

OBSERVATIO XLV.

Sic Statius lib. 10. Thebaid. ait,

Quinam ille sinistræ
Repugnet morti iuuenis.

Cum illa sæpe ad hominum perniciem animalcula etiam fabricauerit, vt scorpionem, à quo Poetæ Orionem occisum fabulantur: etsi vilia, & paruula admodum sint tamen aliquando mortem inferunt, vt præcipue aranea, ab ipsa enim demorsos duos obseruaui, quorum primus, cum per septem dies totus frigidus esset, nihil interim iuuantibus alexipharmacis remedijs octauo die mortuus est; secundus verò, cum internè vreretur, externè frigesceret, motumque quendam conuulsiuum pateretur, septimo die iudicatus est.

Pulmo in sinistra parte thoracis totus consumptus repertus.

OBSERVATIO XLVI.

LIcet vndique miseriæ, vel, vt canit Virg. lib.6. Aeneid.

Pallentesque habitant morbi.

Natura tamen ijs quandoque maximopere resistit, sed tandem cadit.

Suppuratum mortuum secuimus, in quo nulla pulmonis sinistri pars aderat, sed tota cauitas aquæ, & puris repleta erat, cum tamen per duorum mensium spatium, quo tempore ab hoc morbo vexatus fuit, nullam respirandi difficultatem, & paucam tussim sine vlla materiæ morbificæ eiectione habuisset; attamen secto corpore, tota thoracis sinistri cauitas aqua purulenta repleta erat.

Eleuatio, & depressio Hipocondrij in mortuo homine incautos fallens.

OBSERVATIO XLVII.

PRoduxisse parum morti, erat ad hominum interitum Thessala, Colchica, Scythica, aliaque venena; ipsa enim

nostris

ostris in corporibus genita hominum, vitam de medio tollunt, & quod peius est in mortuos adhuc fera cum immanitate sæuiunt. Vir quidam ex illorum numero, qui tormentarium puluerem conficiunt febri pestilenti, & venenosa correptus ante diem tertium perijt; cum autem cadauer sectionis gratia vsque ad sequentem diem inhumatum relinquerem, noctu (portentosum aspectu!) in tantam molem membra omnia excreuerant, vt tamquam monstrum aliquod cerneremus, eoque magis, quoniam in hypocondrio cum eleuatione, & depressione ipsius murmur, & rugitus sentiebatur, tamquam viuus esset homo. Quod euenisse Illustriss. D. Duci Cesarino à D. Petro Seruio amicissimo meo audiui, qui cum mortuus esset, similem rugitum, & motum habebat, quo audito, & viso aliqui ipsum ab inferis reuocatum appellabant, cum tamen re uera mortuus esset.

Cor tormentosum.

OBSERVATIO XLVIII.

IVngentur ante sæua syderibus freta,
Et ignis vndæ, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscida nocti dies.

vt inquit Seneca in Oetheo, prius quam homines vndiq; morbis agitati infortunia, & molestias miserrimè non patiantur. Tam altè hominibus infixa calamitas est, vt sæpe Natura, sicut ab ingenti machina oppressa frustra tentatis viribus corruat. Pleuritide interemptum secuti, qui maximam saniei copiam, tum in pleura, tum in pulmonibus firmiter costis adhærentibus habebat; sed cordis inspectio maximum stuporem pariebat. Illud enim totum albidum, & tomentosum instar pellis, quæ vulgo (ceruiotto) dicitur, aspeximus.

Pus enim, vt credo, cum propter crassitiem, & copiam totum per anacatharsim expui non posset, tunicæ cordis ob immensum ipsius calorem, dum aliquo modo exsiccaretur, adhærebat: vnde totum tomentosum nobis conspicuum fuit.

Angina correptus ex Phlebotomia venarum linguæ suffocatus.

OBSERVATIO XLIX.

EST artificis, iubente Pontano 4. de obed. omnia metiri, quæ facit, atque ad mensuram redigere, ac numeros, vt singu-

singulæ sibi inter se partes conueniant, quibus ipse dimetiendis, & æquandis intentus, vt qui à suis numeris, rectaque mensura nulla ex parte recedat, opus suum tale efficit, cui, quod de opere maxime consumato dici solet nihil addi queat, nihil eximi. Quod præstare, atque efficere proprium est mensuræ. Medicina plusquam aliud quicquam hoc requirit, cùm vt coniecturali difficillime recto modo metiri possit, innotescentibus quotidie nouis obseruationibus, nouisque dogmatibus.

Venarum linguæ sectoi cuilibet anginæ post debitam reuulsionem, & deriuationèm optima ab vniuerso Medicorum cœtu existimatur; attamen iuuenis quidam angina laborans simili phlebotomia suffocatus, & mortuus est, non Medici imperitia, sed quia, dum iuuenis largè per sectionem effluente sanguine, imprudenter, sicuti licet, non excrearet, ab ipso sanguine extrauasato repente enecatus fuit. Caueant igitur Medici, Chirurgi, & Barbitonsores, ne, dum talis sectio celebratur rectus æger decumbat; in anteriorem potius partem vergat; multoties enim, aut imprudenter facultate expultrice iam debili sanguis etiam si sit in pauca quantitate remeans in asperam arteriam suffocare & occidere valet.

Vol-

Voluulorum species diuersæ.

OBSERVATIO I.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia Mortis.

Ita exponit Virgilius lib. 3. Georg. nam vt Horat. carm. lib. 1. od. 3. credebat, quod
Post ignem ætherea domo
Subductum macies, & noua febriū
Terris incubuit cohors.

Infinitæ cum priscis vatibus potest dici, quod sint Pandoræ molestiæ, semper enim morbus aliquis non antea visus ex ipsius lacrhymoso, & fatali vase emergit.

1. Duæ voluulorum species obseruatæ fuerunt; prima ab enterocele, cum ileon intestinum in scrotum descendens strangulatur, fæcesque nullo mobo excernuntur, vnde remeantibus ipsis vomitus fæculentus fit, à Medicis miserere mei vocatus. Secunda, cum intestina aliquo modo connectuntur, vt obseruaui, tanquam in fune madefacto, qui postmodū contoluitur, & in hoc casu mirum in modum pila, tum plumbea, tum argenti viui potio prodest. Sed in duabus

alijs,

alijs, vt vidi, & modo enarrabo, nihil iuuat, ægrique desperati moriuntur. Tertia est, quando ileon, vt aspexi, ita arctatur, quasi farcimen, quæ vulgo lucanica dicitur, nempe cum inter vnam, & alteram lucanicam circumducitur filus: hoc modo ad vnguem inueni intestinum enim tam strictum erat, vt non secus, quã filo vinctum cerneretur; humor enim biliosus ob acrimoniam morbum hunc pepererat. Quarta, cum in cauitatem intestini intestinum descendit, vnde obstructio fæcis, & corruptio illius cum morte oritur, sicuti in sectione anatomica obseruaui; iuuenis enim quidam hoc morbo affectus sine vllo hydrargiri iuuamine, mortuus est: quod cum permeare non potuisset, prope obstructionem à me inuentum fuit.

Lector ades. Iám obseruationum mearum Pentecoste prima completa est: si tuo genio non placet, Authorem excuses, qui aliquod tibi vtile cum iucunditate allaturum credebat; legebam enim in Vg. lib. 1. Didasc. quod lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, & affligere spiritum qualitate, videlicet si fuerit obscurior, & quãtitate, si prolixior. In vtroque enim, vt ait ille, magno vti moderamine oportet, ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem. Meis viribus quantum potui

hanc

hanc scribendi normam sequutus sum, præcipueq; vt aliquibus opus floribus ornaretur; Mulier enim nouiter nupta, etiamsi pulcherrima, auxilijs tamen externis, sicuti gemmis, & floribus persæpe vtitur. Sed condonabit mihi humanitas tua, si hoc stylo scripserim, cum delectatio vtilis ad Lectorem alliciendum acutissimus mihi fuerit stimulus, eoque magis, quoniam Coriphei & Anteambulones in hoc genere dicendi Hieronymus Mercurialis, & Ioannes Benedictus Sinibaldus amicissimus meus dictissimi, eruditissimique viri fuerunt. Quantitas te non suffocabit, breuitate enim gaudeo, de qua optime scribit Martiali lib. 2. epig. dum librum suum sic alloquitur.

Tercenta quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretque liber?
At nunc succincti quæ sunt, bona disce libelli
Hoc primum est breuior, quod mihi charta perit:
Deinde quod hæc vna peragit librarius hora:
Nec tantũ nugis seruiet ille meis.
Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris
Sis licet vsque malus, non odiosus eris.

Postimo-

Postmodum concludit.

Esse tibi tanta cautus breuitate videris,
Hei mihi quam multis, sic quoque longus eris.

Si labores nostri non erunt iniucundi, secundam obseruationum medicinaliũ Pentecostem breui Typis mandabo. Sed Zoilus mihi personat aurem: quapropter libro huic id, quod Ouuenus suo vnico epigrammaton significabat, dicã,

Innumero dicenda tibi sub iudice causa est:
Arbitrium de te non duo, tresue dabunt:
Forsan, & illectus temere damnabitur Autor;
Rarior, & Lector quã reprehẽsor erit.

PLANTARVM AMPHITHEATRALIVM CATALOGVS.

HORTVM Meſſanenſem magiſter meus Petrus Caſtellus Romanus feliciter fabricauit, ſicut Catalogum Plantarum Horti Patauini doctiſsimus Eques *Io.* Veſlingius mirè conſtruxit, in quibus herbæ, tum ſuburbanæ, tum exoticæ luxuriantes deſcriptæ mirarentur. Nos Galeni præcepto moniti lib. 1. de antid. adminiſt. quod Medicus omnium ſtirpium ſi fieri poteſt peritiam habeat, ſin minus plurium ſaltem, quibus frequenter in Medicina vtimur (& quod multi, vt ipſe paulo poſt ſubdit, Cretà allatas herbas, & ipſarum ſemina agnoſcunt, & in ſuburbanis, non paucas, ac ipſis naſcẽtes prorſus ignorant) plantas familiares, at domeſticas, quas pedibus quotidie calcamus enumerabimus, ait enim Plinius lib. 24. cap. 1. loquendo de his. Hinc nata Medicina; Hæc ſola Naturæ placuerat eſſe remedia parata vulgo inuentu facilia, ac ſine impendio

cendio, ex quibus viuimus. Postea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones, & mixturæ inexplicabiles decantantur: Arabia, atque India in medendo æstimantur, vlcerique paruo medendo medicina à Rubro mari asportatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cænet: Hæc Plinius.

Amphytheatrū optime similibus plantis medicinalibus abundat: quapropter relictis alijs Romani soli herbis, quæ innumeræ sunt Amphitheatrales tantum describo, eoque magis, nam tanquam in æterno, & nunquam deficiente, non vt in alijs hortis, nascuntur, quas omnes Plantas in nostra POMPA BOTANICA in Xenodochio S. S. ad S. S. erecta demonstrauimus.

Planta-

Plantarum Amphitheatralium Catalogus.

A

ABsynthium romanum.
Acanthium.
Acanthus.
Adiantum.
Adonis.
Aegilops.
Aegilops altera.
Agrimonia.
Alaternus.
Alcea.
Alliaria.
Allium sylueſtre.
Alopecuros.
Alſine maior.
Alſine minor.
Alſine baccifera.
Alſine hederacea.
Ammi Fuchſij.
Anagallis cerulea.
Anagallis purpurea.
Anchuſa aſpera.
Anchuſa flore albo.
Anchuſa mollis.
Anemon bulbocaſt. radice.
Anemon geranij folio flore albo.
Anemon geranij folio flore purpureo.
Anemon flore violaceo.
Aparine.
Anthriſcum Plinij.
Aracus niger.
Aphaca.
Armerius sylueſt.
Armerius sylueſt. alter.
Aron.
Artemiſia.
Aſperula.
Aſter atticus.
Aſtragalus.
Atractylis.
Atriplex fætida, ſeu garoſmus.
Atriplex sylueſt. angustifolia.
Atriplex garoſmi folio.
Atriplex sylueſt. anguſti folia altera.
Atriplex sylueſt. latifolia.

Baccha-

B

BAccharis Monspeliensium.
Barbarea.
Bardana, seu Lappa maior.
Bellis.
Bellis arborescens.
Blattaria.
Buglossum.
Buglossum echioydes.
Buphtalmum.
Bursa pastoris.

C

CAlamenthum.
Campanula aruensis.
Campanula flore albo.
Campanula flore carneo.
Campanula folio ra puncuΙi.
Cãpanula folio pyriformi.
Campanula minor angusti fol.
Capparis.
Caput vituli, siue Antirrhinum.
Cardamine maior.
Cardamine minor.
Carduus chrysanthemus.
Carduus lactarius.
Caryophillata.
Carduus stellarius.
Casia poetica.
Centaurea minor.
Centaurea min. flore luteo.
Cæpæa.
Cerinthe.
Chamædrios.
Chamæmelon.
Chamæmelon sylvestre.
Chamæpytis.
Chelidonia.
Chrysanthemum maius.
Chrysanthemum minus
Chrysocome.
Chrystagalli.
Cicer syluest.
Cicoriũ oedipnoides.
Cicorium constantinopolitanum.
Cicorium syluestre.
Cicorium syluestre angu-

Cuscuta.
Cyanus aculeatus.
Cymbalaria.

D

DAucus sylue-
stris.

E

EBulus.
Echyum.
Elatine folio rotūdo.
Elatine sagittæ folio.
Endiuia syluestris.
Erigeron.
Eruca syluestris.
Eruca syluest. flore
luteo.
Euonimus.
Erysimum.
Erysimum alterum.
Eupatorium Auicē-
næ.
Euphragia altera
Dodonei.

F

FAba syluestris.
Ferula.
Ficus syluestris.
Filago.
Filix fœmina.
Flammula Iouis.
Fœniculum sylues.
Fumaria alba.
Fumaria rubra.

G

GAlega.
Gallion flore
albo.
Gallion flore luteo.
Galiopsis.
Gattaria.
Geranium colum-
binum.
Geranium colum-
binum sanguineū.
Geranium colum-
binum laci. folijs.
Geranium pheum.
Geranium muscatū.
Geranium ruber-
tianum.
Gingidium.
Gnaphalion.
Gramina pratensia
varia.
Gramen alopecu-
royde.
Gramen cyperoy-
des.
Gramen falaroydes.
Gramen tremulum.

Hedera

H

Hedera arborea.
Hedera helix.
Heliotropium ma.
Helxine.
Hemionites.
Hemorrhoidalis Aldobrandi.
Herniaria.
Herniaria altera.
Hieracium maius.
Hieracium minus.
Horminium syluestre.
Hyacinthus ceruleus.
Hyacinthus botrioydes.
Hyacinthus ornitogaloydes.
Hydropiper.
Hyosciamus niger.
Hypericon.

I

Iacea nigra.
Iasmininum syluestre.
Iberis, seu Cardamantica.

K

Kalendula.

L

Labruscia.
Lactuca syluestris.
Lagopus.
Lapathum.
Laurus tinus Italicus.
Lentiscus.
Lens syluestris.
Leucoion.
Lichen, seu Epatica.
Ligustrum.
Linaria.
Linaria flore luteo.
Linum syluestre tenuifolium.
Lolium.
Lotus arbor.
Lotus odorata.
Lupulus.
Lychnis syluestris.
Lychnis syluestris altera.
Lychnis viscosa.
Lygopsis Anglica.

M

Malua.
Marrubium nigrum.
Melilotus.
Melissa.

K

Kalendula.

L

Labruſcia.
Lactuca ſyluestris.
Lagopus.
Lapathum.
Laurus tinus Italicus.
Lentiſcus.
Lens ſyluestris.
Leucoion.
Lichen.seu Hepatica.
Liguſtrum.
Linaria.
Linaria flore luteo.
Linum ſylueſtre tenuifolium.
Lolium.
Lotus arbor.
Lotus odorata.
Lupulus.
Lychnis ſylueſtris.
Lychnis viſcoſa.
Lychinus ſylueſtris altera.
Lygopſis.
Lygopſis Anglica.

M

Malua.
Marrubium nigrum.
Melilotus.
Meliſſa.
Menthaſtrum.
Mercurialis maſ.
Mercurialis fœmina.
Milium Solis.
Mollugo.
Moly.
Muſcus coralloydes.
Muſcus terreſtris.
Myoſota.
Myrrhis.

N

Nummularia.

O

Ocymoides flore albo.
Ocymoides flore carneo.
Olea ſylueſtris.
Oleoſa.
Oluſatrum.
Onopordon.
Onobrychis.
Orchis anguſti folia.

Orchis

Orchis latifolia.
Origanum.
Ornithogalum.
Orobanche.
Orobus ſylueſtris.
Oxyacantha.
Oxis trifol. flore luteo.

P

Paliurus.
Papauer erraticum.
Papauer erraticum alterum.
Papauer ſpumosũ.
Peplium.
Peplium alterum repens.
Periclymenũ perfoliatum.
Periclymenum rectum.
Perpeſſa Plinij, ſeu reſeda minor.
Perſicaria.
Phenix, ſiue Hordeum murinum.
Philirea latifolia.
Philirea anguſti folia.
Phyllitis.
Phu minimum pratenſe.
Pimpinella maior.
Pimpinella minor.
Plantago maior.
Plantago media.
Plantago min.
Plantago minor ſpinoſa.
Plantago minima piloſa.
Plantago laciniata.
Plumbago.
Poligonum.
Polipodium.
Politricum, ſeu Adiantum nigrũ.
Porrum ſylueſtre.
Portulaca.
Prunus ſylueſtris.
Pſeudoſtruthium, ſeu reſeda maior.
Pſyllium Dodonei.
Pulegium.
Pulmonaria.
Pecten veneris.
Pyſum ſylueſtre.

Q

Quinquefolium.

R

RAnunculi varij.
Raphanus rusticanus.
Rapistrum.
Rapunculum.
Rhamnus prunus.
Rosa canina.
Rubia tinctorum.
Rubus.
Ruscus.
Ruta syluestris.

S

SAxifragia prima Matthiol.
Sanguinaria.
Scabiosa.
Scabiosa cerulea.
Scolopendria.
Scorpioydes.
Securidaca maior.
Securidaca minor.
Sedum medium.
Sedum minus.
Sedum minimum.
Sinapis syluestris.
Smilax aspera.
Smilax leuis.
Solanum hortense.
Sonchus asper.
Sonchus leuis.
Sonchus leuis angusti folio.
Sonchus leuis alter laciniatus.
Sorbus agrestis.
Spina solstitialis.

T

TAraxacon.
Therebinthus
Tethraith herbariorum.
Teucrium.
Thapsia.
Tithimalus amigdali folio.
Tithimalus helyoscop.
Thlaspi angusti folium.
Thlaspi latifolium.
Tordilion.
Tribulus terrestris.
Trichomanes.
Trifolium cochleatum asperum.
Trifolium cochleatum leue.

Trifo-

Trifolium lactatū.
Trifolium lactatū minus.
Trifolium maculatū nigrum.
Trifolium maculatum rubrum.
Trifolium maculatum rubrum minimum.
Ttifolium Medicū Galeni.
Trifolium pratense maius.
Trifolium pratensē minus.

V

VErbascum foemina.
Verbascum mas.
Verbascum nigrū.
Verbena.
Verbena altera.
Vicia.
Viola.
Virga sanguinea.
Vmbilicus Veneris.
Vrtica fœtida.
Vrtica maior.
Vrtica minor.
Vrcica vrens.
Vrtica vrens altera spherocephaloydes.

X

XAnthium, seu Lappa min.

Addantur hęc plātæ in Catalogo in littera C.

Cicorium syluest. angusti folium flore luteo.
Ccorum syluest. latifolium flore luteo.
Cicuta.
Cinoglossum.
Clematis daphnoydes.
Climenos.
Clinopodium.
Colutea scorpioydes.
Colutea vesicaria.
Condrilla hircina.
Condrina maior.

Condrilla minor.
Condrilla tuberosa.
Cōdrilla viminals.
Condrilla viminea s altera.
Coniza maior.
Coniza media.
Coniza minor.
Consolida minor.
Consolida regalis segetum.
Consolida tuberosa
Conuoluulus.
Coronopus.
Corruda.
Cotula.
Cotula fætida.
Cruciata.
Cruciata minor.
Cucumer agrest.

IATRO-

IATROLOGISMORVM SIVE OBSERVATIONVM MEDICINALIVM.

Pentecoste Secunda.

DOMINICI PANAROLI ROMANI

Philosophi, & Medici.

Ad Lectorem.

Ecce sicuti pollicitus sum Lector benignissime secundam Iatrologismorum, seu Medicinalium Obseruationum Pentecosten tibi offero, in qua multa noua, multa miranda, multa rara multa vtilia, sicuti in Prima tibi obuia fient. Medicina si quæ facilior, & tutior est via ad medendum hæc Obseruationum Medicinalium vna est, ex qua quampluri-ma salutaria consilia emergunt. Finis meus in hisce laboribus, sicuti in reliquis, nihil aliud fuit quam saluti publicæ consulere, vtilitatique communi prodesse. Si vero ex abrupto scriptura Zoili cuiuspiam animo nocendi, famamque lacerandi tentare aliquid audeat illud Horatianum in mentem habeat.

Caue, caue, nãque in malos asperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bubalo.
An si quis atro dente me petiuerit
Inultus vt flebo puer?

Non certe, sed fœnum in cornu habebo. Vale.

Pent-

Enterocele omphalodis in Matris vtero orta.

OBSERVATIO I.

QVI libidinis œstro vruntur, petulantisque, & salacioris naturæ sũt non in cuiuslibet mulieris concubitu delectantur, sed tanquam canes sagaces illas tantum sequuntur, quæ ad libidinem procliuiores sunt. Hasque vt inueniant his signis vtuntur, scilicet moribus, incessu, ministerio, voce, aut sermone, vestimentorum cultu, vnguentis, aut odoribus, &c.

Ex his enim maxime mulierum libido cognoscitur, sed præcipuè ex ministerio, vbi inter alias textrices mulieres primũ obtinent locum, rationem reddens. Sinibaldus in sue Geneatropeiæ lib. 2. tract. 2. cap. 11. quod nimirum in arte textoria renes perenni quatiuntur motu, vnde calefacti sanguinis prolectant alluuiem, quo mox fomitis excitatur igniculus. His adde quod pedum alternatiuo illo motu teruntur, & confricantur pudenda vnde autem feruescere, & prurire eadem

contingit spiritibus ab alto aduocatis. Salacissimæ in actu venereo sunt istę mulieres, assiduo enim illo motu in arte textoria vtentes, in coitu quasi saltatrices sunt simillimæ Poetriæ illæ quæ Sappho vocabatur, de qua ait Ouidius, dum ipsam scribentem ad Phaonem in heroidum epistolis sic inducit.

Hæc quoque laudabas, omnique à parte placebam,
Sed tunc præcipue, cum fit amoris opus.
Tunc te plus solito lasciuia nostra iuuabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verbo ioco.

Sed ad concipiendum, & retinendum foetum ineptissimæ sunt mulieres istæ, mobilitas enim illa, vt in saltatricibus, aut agoniam facit, aut abortum procreat, aut foetus infirmos, & debiles reddit. Qua de causa Auicenna ad conceptionem prohibendam in muliere, quę in prægnantia periclitari possit, iubet illam saltus exercere.

Textrix quædã peperit filiam tam male affectam, vt per triduum viuere non affirmasses, portentoso enim, & vndequaque periculosissimo morbo vexabatur, in regione enim vmbilici pars cutis & pars musculorum deficiebat, ita vt amplissimũ hiatum rotundum aspiceremus,

ex-

ex quo intestina profluebãt; Solum peritoneũ ne penitus laberentur prohibebat. Nos igitur vocati, intestina extra prolapsa manu leuiter intro repellere conantes frustra actum fuit, sincope enim correpta nihil egimus, quapropter pro certo habebamus ipsam breui morituram ob amplissimum orificium, & peritonei facilem corruptionem. Sed ne quid intẽtatum relinqueremus, & ne peritoneum ab ambiente extrinseco læderetur omentũ castrati calidũ enteroceli huic imposuimus. Mirandum dictu paucis post diebus peritoneum corruptum vnguiforme quoad duritiem decidit, sub quo orta caro cutis instar conspiciebatur, & nunc ista puella recte viuit, & optima sanitate omni metu libera fruitur.

Renum calculo Remedium optimum.

OBSERVATIO II.

Validiora (vt asseruit Leo Papa in serm. de Ieiunio) sunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam voce. Multas enim res dum sunt in potentia recte examinamus, cum vero reducuntur ad actum, opus frustratur.

In vesicæ calculo nullus adest remedio locus excepta sectione, dicant quidquid velint Medici nugæ sunt, errores, & figmenta. Nos inter tantas remediorum farragines nullum inuenimus aptum, quod huic morbo opituletur. Poterit vero si arena friabilis fuerit aliquo modo in vnum compacta, vt non sit lapis, dissolui, & hinc oritur quod lapides vesicæ attritos vi alicuius medicamenti Medici decantent. Sed cum iam lapis formatus stabulatur in Vesica desperatus morbus est, nisi ad sectionem venias. Renum vero calculo adest remedium ad comminuendum, & frangendum illũ. Nos oleum petroleum naturale, non artificiale externe supra renes vnctũ summopere laudamus. Experiantur Medici maximum enim remedium habebunt.

Vomitus subitaneus criticus, segregatiuus.

OBSERVATIO III.

Nvlla res ex Aristotele primo de partib. anim. est in natura, quod non habeat in se aliquod admirabile. Cum quidam infirmus tertiana duplici continua torqueretur non sine aliqua stomachi lãcinatione ob refluxioné biliosi humoris

stoma-

ſtomachi, os lædentis accidit die critica dum nos tum ad virium robur, tum ad refrigerandum bilis mordacis æſtum carnem optime contuſam cum Ptiſana hordeacea ipſi adminiſtraremus, ſtatim propinato ſimili potu vomuit bilem puram, luteam, lucidam, non in pauca quantitate abſque nulla ſupradicti potus mixtione, & hoc fuit celerrime; æger vero in hoc vomitu iudicatus optime conualuit.

In quo duo occurrunt enucleanda. Primo improuiſa ſalus; ſecundo motus ille emeticus ſegregatiuus. Quoad primum magna non oritur admiratio, quandoquidem ſeptima die vere critica bile os ſtomachi lædente euacuata per vomitum, æger liberatus eſt, quoniam ablata cauſa aufertur effectus: Sed quo ad ſecundum aliqua oritur difficultas, quomodo enim iſta ſegregatio inſtantanea (vulgariter loquẽdo) celebrata fuerit non leuis eſt momenti. An propter Naturæ benignitatem, quæ ad indiuiduum conſeruandum iuuantia admittẽdo noxia fugat, an vero propter humoris biliosi leuitatem (ignem enim æmulatur) ita vt tanquam oleum aquæ ſupernatans facile à ſtomachi impulſu bilis illa vomitu expulſa fuerit.

Non ab hoc nam etiamſi bilis ſupra ptiſanam aſcenderet, tamen vomitu-

aliqua etiam pars illius excreta esset. Non à robusta Naturæ vi benigna attrahentis, & noxia fugientis, nam vno, & eodem tempore non possunt fieri duo motus cõtrarij, attractio, & expulsio, sed aliquo processu temporis. Dicimus igitur ab vtroque; adeo vt & à leuitate bilis, & à Naturæ benignitate vomitus iste ortus sit.

Eruptio sanguinis in crure periodica.

OBSERVATIO IV.

Vilia sunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & sordet quidquid spectauimus olim.

Vt erat tempore Titi Calphurnij, sicut ipse ait Ecloga. 7. sic etiam accidit nostris temporibus apud Medicos; quotidie enim ipsi, si quæ sunt nouæ Obseruationes in lucem proditæ auidius interrogant. Nos aliquas rariores communicauimus, inter quas hæc vna est.

Cæmētarius quidam statis temporibus fluxum sanguinis periodicum habet in Tibia; vena enim quædam externa varicosa sponte rumpitur, & sanguis defluit, & sponte etiam nullo adhibito auxilio reclu-

recluditur. Si Mulier esset ego iam cum omnibus Medicis menses excretos simili modo pronunciarem.

Gallus sine ano, & pene quotidie citra salutis noxam stercus euomens.

OBSERVATIO V.

CVm aliquando de Naturæ mirandis obstupescerem in hoc maximũ ortũ fuit, vt cum D. August. de gen. rite exclamare possim, Naturæ opera esse maxima miracula: Nam cum in hoc Mundo certo digesta sint ordine corpora vbique, aliquando tamen à non ente, & priuatione, vt pluries diximus, oriuntur defectus, vt in homine v.g. vel ob imbecillitatem seminis, vel ob aliam causam, cum nascantur quãdoque infantes imbecilles, & monstruosi, tunc Natura (illud comprobans axioma, quod qui dat esse dat consequentia ad esse) mirum in modum huiusmodi infantes conseruat ad futuras ætates, vt in Enterocele Vmbilicali supra diximus.

Gallus quidam in vtero Matris sine pene, & ano male conformatus in lucem proditus est. Qui ipsum hoc modo natũ vide-

videbant breui moriturum credebant, nam cum duo potisſimum ad vitæ conſeruationem neceſſaria ſint, nutritio ſcilicet, & expulſio fęcum, neutra poterat celebrari ob defectum inſtrumentorum, cum enim expulſio fęcum fieri nõ poſſet, neceſſe erat, aut intra corpus corrumpi, aut remeare ad ſuperiora excrementa, vt in voluulis ſæpius vidimus, vnde confuſio, & corruptio nutrimenti fieri etiam debebat. Quod recte conſideratum breuiſſimam illius vitam arguebat, & ecce præter omnium ſpem Natura mirandum aggreditur nempe nutritionem celebrãdo, expellendo fęces per os, abſque eo, quod confunderetur, aut nutritio, aut fęcum expulſio. Hunc ego Romæ vidi, & credo ab alijs Medicis magna cum admiratione viſum fuiſſe, ſine vllo ani foramine, vndique enim imperforatus erat; in anteriore vero parte vbi mentula virilis exſurgit caro pauca quædam rotunda, rubra, plana, & ſpongioſa continuo vrinam per ſtillicidium eijciebat. Me preſente optime comedit, & poſt debitum tempus fęces probe concoctas per os eiecit. Gallus porro iſte non ſolum optima fruitur ſanitate, ſed athleticum habitum habet, vt ipſum intuentes mirifice obſtupeſcant.

Aquæ

Aquæ potus nimius, & coitus immoderatus suffusionem pariunt.

OBSERVATIO VI.

Mortis habet vices
Lente cum trahitur vita gementibus.

Vt ait Seneca in Hercule Oeteo. Si magnum aliquod infortunium homines torquet; cæcitatem vnum hoc esse crediderim. Malorum enim omnium cæcitas prima est. Quid etenim miserius homini accidere potest, quam semper in tenebris immorari.

Suffusionem sæpe ortam vidimus duabus hisce causis, aliquando coniunctis, aliquando vero separatis, à frequenti scilicet aquæ potu, aut coitu immoderato; ideo vt homines caueant in posterum præsentem Obseruationem in lucem edidi.

Semen

Semen Anguriæ à puero deuoratum per trimestre tempus citra corruptionem in Larynge detentum, & reiectum.

OBSERVATIO VII.

QVemadmodum, vt ait Seneca de ira per frequentia Vrbis loca properanti in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi, ita in hoc vitæ actu dissipato, & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. Tot ruinæ, tot vincula vel à minimis rebus parantur, vt non sine magna ratione idem Seneca de cons. ad Mar. diceret, quod nihil est tam fallax, quam vita humana, nihil mehercule tam insidiosum, nullus eam acciperet, nisi daretur inscijs. Itaque felicissimum est non nasci, si poeticæ loqui aliquando fas sit: nam vt dixi, ex qualibet re etiam leuissima quandoque grauissima pericula oriuntur, quod optime comprobat Seneca in Thebaide.

Vbique Mors est optime hoc cauit Deus.
Eripere vitam nemo non homini potest.

At

At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Mille certe aditus patent, nam cum puer quidam trium annorum imprudēter Anguriam, quæ vulgo hic Romæ, Cocomero, appellatur, comederet, semen aliquod ipsius in illa commistione ita firmiter, Laryngi adherebat, vt amoueri nulla arte posset, dum infans in animi deliquia suffocationis causa incidebat. Per tres menses pallidus semper, Mortique proximus videbatur cum tussi vehementissima; nihil autem tussiendo excreabat, transacto tertio mense, cum fortiter aliquando tussiendo excrearet semen illius anguriæ nulla parte immutatum, aut alteratum eiecit, vt ex recenti fructu extractum nouiter videretur. Maxime admiratus sum nō computruisse, cum enim pueri maxime humidi sint, & calidi necessario semen corrumpi debebat; sed hac ratione non euenisse putarem, quandoquidem aer continuo motu à pulmonibus tanquam à flabellis euentilatus, & expulsus post ingressum semen, quod respirandi viam obstruebat refrigerabat, qua de causa cum calor non posset agere mirum non est, si nulla parte labefactatum, aut mutatum post trium mensium spatium eiectum fuerit.

Colicis

Colicis doloribus à causa frigida remedia optima.

OBSERVATIO VIII.

HVmanę res fluxę ex Salustio in Iugurtha, semper in aduersa mutantur. Adest sanitas: mox momento temporis morbi apparent inaspectati, inter quos colica passio est vehemens adhuc, & intolerabilis, dolore enim maximopere ægri torquentur. Nos vbi hic morbus originem duxit à causa frigida sępius experti sumus oleum baccarum lauri, aut oleum è corticibus aurantiorum per expressionem factorum cum vino, quo facto per breue tempus ęgri dolore sedato, somnum capientes conualuerunt.

Coma vigili enecatorum sectio.

OBSERVATIO IX.

ANima in corpore secundum Plotin. Enne. 4. sententiam omnia mala patitur, in feram vitam ducit, doloribus, cupiditatibus, timoribus, cœterisque malis opprimitur, cui corpus vinculum est ac sepulcrum; cui mundus est spelunca, & antrum. Vere enim est sepulcrum, spelunca, antrum & carcer, in quo anima latitat, vbi aliquando à corpo-

corporis morbo immani barbarie furenti eius functiones maximopere opprimūtur Corpus enim vt ait D.Aug.de vtilitate ieiunij est vinculū nostrū, & carcer noster. Ob hoc igitur Mercurius Trismegistus in Pim.cōquerebatur dū aiebat, quod corpus est indumentū inscitię, prauitatis fundamentū, corruptionis vinculū, velamē opacū, viua mors, sensitiuū cadauer, sepulcrū circumuectile, domesticus deniq; fur, qui dum blanditur odit dum odit inuidet.

Multoties enim, vt dixi animæ operationes ita fortiter à corporis morbis lædūtur, vt homo stupidus, & attonitus absq; ratione esse videatur sicuti est morbus ille, qui à Medicis coma vigil appellatur, in quo homines apertis oculis stupidi sunt.

Iuuenē hoc morbo interēptum secui ad inuestigandū, quæ nā huius morbi sedes affecta esset. Reserato capite in primis vētriculis, vbi sūt plexus illi à Græcis Choroidei dicti in dextera, & sinistra parte duę paruę quędā pilę cōpactę ita erant, vt nō sine magna laceratione separari posset. Pila verò vnaquæq; magnitudine ciceris, sed aliquantulū maioris tunicam internè flauā habebat, substātia vero erat alba, sed aliquo modo dura externè vero tunica rubra erat. Hoc vt vidi collegi, vnde nam prouen iret, quod huic morbo inualida essent medicamenta omnia, quandoquidem nec medicamento, nec ferro, nec igne superari potest.

Medi-

Mediastini inflammatio lethalis.

OBSERVATIO X.

Continuo culpam ferro compesce, prius quam
Dura per incautum serpat contagio vulnus.

Virgilius lib. 3. Georgic. sic loquitur: sed cum morbus internus est, quid est agendum? quomodo possumus auxiliari ægrotis vbi necesse sit? Certe aliquando difficulter, aliquando nunquam. Inflammationem mediastini vidimus, in qua æger Orthopneycorum more cubabat, quoties enim quiescere supinus cupiebat, statim animi deliquio corripiebatur. Mortuo ægro secto inuentæ fuerunt mēbranæ illæ, quas Græci Diaphractontes, Latini vero intersipientes vocant maximopere inflammatæ. Maximus est morbus, qui prope cor vitæ fontem stabulatur.

Aneurisma mirandum.

OBSERVATIO XI.

Omnibus est eadem lethi via, non tamen vnus

Est

Est vitæ cunctis, exitÿque modus.
Hac pueri, atque senes pariter, iuuenesque ferentur,
Hac par diuitibus pauper ægenus erit.

Vt dicebat Cornelius Gallus, & vt ait Statius lib.9. Thebaid.

Mille modis lethi miseros Mors vna fatigat.

Fera enim & immanis non pulchritudini, non diuitijs, non nobilitati, non virtutibus parcens omnia conterit. Nec aures nec lumina ad exercendam pietatem habet sed.

æquo pulsat pede
Pauperũ tabernas Regumque turres.

Crudelior Tygride, frigidior marmore, horridior Auerno, nec sexui, nec ætati condonans cuncta deuastat. At quod portentum maximum adfert illud est, quod non vno, aut pluribus telis, sed infinitis propemodum mortales enecat. Alios enim flammis, alios aquis, alios ferro alios laqueo, alios morbis interficit. Mors crudelis, quæ quotidie Tyrannorum more noua, & noua tormentorum genera ad trucidandos homines indagat; quotidie enim morbi Mortem concomitantes, numquam visi, nec experti ab ipsius, fera rabie, truculentaque feritate reperiuntur, inter quos præcipuus vnus fuit, qui repente, & inopinate

patrem

patiē quemdam D. Antonij prope D. Mariam Maiorem hic Romæ suffocauit.

Audias hic mirandū lector, quā fragilis, quā caduca, quam velox, quā labilis vita hominū sit, nihil enim aliud est nisi tanquā radius solaris; qui mane lucidus, vespere pallidus fulgore perdit, aut tanquā vnda superba, quæ cito ferocitatē perdēs in arena acerbitatis virus euomit, aut, tā-quam ros, qui in Solis ortu euanescit, aut tanquā vox, quæ eodē tempore, & oritur, & moritur. Nam cū ego in Nosocomio S. S. ad. SS. Hyeme vti erat mos meus, quotidie fere secandi corpora accidit aliquando, vt pater iste desiderio impulsus anatomicæ sectionis ad ipsam intuendam me rogaret: libenti itaque animo aliquando dū secui, vt prope me sederet, oraui; opus compleui atque ipse ex huiusmodi inspectione totus iucundus domū reuertitur.

Sequenti die nuntius quidā mihi retulit Patrē, illū qui Anatomē inspexerat è viuis decessisse, orans interī vt in Patrū reliquorū gratiā ipsū aperiamus ad intuendā repētinæ mortis causā. Corpus secuimus sed credas lector quod in illa sectione pœtice loquendo gelidus per ima cucurrit, ossa tremor solum cogitādo, quod

Stat sua cuique dies breue, & irreparabile tempus.

Omnibus est vitę.

Nam qui altera die me secātem inspexerat nunc à morte correptus tā breui tēporis

ris ſpatio in ſua viſcera ferrũ patiebatur.

Pater iſte ſub dextera axilla prius aneuriſma habuerat, quapropter Medicis conſulentibus ſingulis quibusq; annis, cũ eſſet quadrato corpore, maxima ex brachio oppoſito ſanguinis copia hauriebatur, accidit eo tempore, dum nunquam tam iucundus & promptior eſſet ad vitę functiones, illi repentina mors, & in terram cecidit. Secto cadauere venã azigos maximopere turgentem inueni, ita vt rumpi videretur: venę item, & arteriæ omnes, quæ muſculos intercoſtales dexteros irrigant summopere venæ plenæq; erant, ita vt dum ſectio fieret circa clauiculam, & axillam, maxima ſanguinis copia redundaret: Sed quod maxime admirandum fuit, arteriæ axillaris fuit inſpectio ipſa enim non vt in reliquis aneuriſmatibus rupta, & corrupta erat, ſed vndequaque integra; Ea tamen differentia, quod circa arteriam, & venam axillarem, atq; intra cauitatem arterię caro quędam alba, ſolida, dura, & cartilaginoſa maximæ portionis tam firmiter adherebat, vt ſecerni nullo modo poſſet, immo ferro mirifice reſiſtebat. Vnde cum via ſanguinis naturalis, & vitalis ad irrigandum brachiũ ex inſigni interna & externa obſtructione paulatim clauſa eſſet, retrocedẽdo ſanguis cor ſuffocando Patrem illum inopinate Mortis falce reſecauit.

Saccari

Saccari in febribus immodice adhibiti nocumentum.

OBSERVATIO XII.

Homerus in septima Iliade scriptum reliquit

Quale foliorum genus, tale & hominum
Folia quidem alia ventus humi fundit, alia vero sylua
Pullulans gignit quando veris venit tempus

Sic hominum quidem genus aliud quidem nascitur aliud quidem moritur. Quapropter ad euitandā mortis fulmina Medica disciplina conata quantum potest ratione, & experientia methodum sibi parat.

Non sum in numero eorum medicorū omnibus ægris, sanisque infestorum, qui nec sal, nec acetaria in cibis admittunt, cum vsus sit altera natura, & sal & acetaria ob siccitatem putredini resistant, appetitumque moueant, sed omnia concedimus, non autem sine regula, & sicuti aliquando qualitatem in pauco cibo parui ducimus ita quantitatem in qualitate magnam damnamus.

Saccarum multiplici modo in Febribus conueniens est; cum autem sal si[c]

plantæ

plantæ, si immodice comedatur, aut in potu sumatur nocet sitim augendo maximam. Scio Medicos hoc prohibere, sed inueterato summopere hoc abusũ ægri quamplurimi Medicis nescientibus maximam Saccari quãtitatem deuorant, qua de causa Medicos admonitos esse volo. Tu autem ne nasum Rhinocerontis factas lector si res minimus scribamus, in rebus enim minimis, quæ non considerantur quandoque salus ægrotantis, Medicique laus, & honor consistit. Vnum hoc sciat Medicus, quod dum imposuit Hippocrates, quod non oportet se ipsum præstare solum, sed & ægrum, & assistẽtes, & exteriora præceptum apud nos reliquit, quod cẽtoculati Argi more debemus esse, si hoc etiam sufficerel.

Fistula Thoracis Periodica.

OBSERVATIO XIII.

Non absurdum est dixisse probe viros sapientes, vt ait Plato 2. de Rep. maxima, atq; pulcherrima Natura, Fortunaq; fieri, quoniam vt ait Aristoteles 7. Ethic. omnia diuinum quoddam natura habere videtur nam ex sententia D. Aug. lib. X. de Ciuit. Dei Naturę opera sunt maxima miracula. Miracula quidem,

nam ob indiuidui conseruationem sepe morbo oppressum ab Orci faucibus hominem, & à Parcarum ferro stamen vitale, ne rescindatur eripit, sicuti in hac Obseruatione videbimus.

Ad confirmationem meæ Epistolæ, quam diligentissimo viro Antonio Vitagliano elapsis paucis ab hinc annis scripsi (idest circa illam partem, quod pulmones nullam in cauitate thoracis stagnantem materiam ad se attrahant, inde per anacatharsim expuāt præter id, quod dictum fuit, scilicet quod pulmones ex recenti animali mortuo extracti, & inflati, nec ad minimum aeris expellendum peruij sint sicuti etiam in multis thoracis vulneribus, vbi, cum quotidie maxima saniei copia per vulnus excerneretur, nec guttulā quidem per excreatū cū tussi expulsā vidimus) sciendum est, quod cum Iacobus Martanus Ferrarius Faber prope Ecclesiam D. Mariæ Lauretanæ apud Traiani Columnam hic Romæ aliquādo vulnus in thorace penetrans habuisset, non sinè magno vitæ discrimine vulnus processu temporis, cum claudi non deberet, nec posset ne æger in maxima pericula deduceretur, in fistulam transijt, absque eo quod nec minimum puris expuisset. Sed quod mirandum existit audias Lector multis ab hinc mensibus fistula non amplius apparet, sed est clausa, donec

facta

facta in thoracis cauitate puris coacervatione, superueuiente febre, tussi, capitis doloribus post aliquot tempus reserata fistula, materia contenta excernitur, & denuo clauditur, absq; eo quod prius, aut posterius nec guttula quidem sanguinis, saniei, aut puris per sputum expellatur.

Oro interim illos, qui pulmones attrahere materiā in cauitate thoracis sentiũt, vt sint oculari testes, hac de causa nomẽ, & domum descripsi. Hoc modo viuit iste miser, & infelix, qui periodice dum materia colligitur, & stagnans in thorace putrefit, fere ad vltimũ vitæ ducitur, qui, nisi fistula beneficio naturæ aperiretur, certe desperatus è viuis decederet. Quid dicendum est igitur? nam si in vitæ magno discrimine, vt in hoc casu, pulmones non attrahunt materiam in thorace contentam, ergo neque in rupto tuberculo pleuræ aliquid attrahent.

In Leipyria febre maculæ penetrantes nigræ per totā pulmonum substantiam inuentæ.

OBSERVATIO XIV.

Dum fata sinunt viuite læti,
Properat cursu vita citato,
Volucrique die rota præcipitis
Vertitur anni.

Sic Seneca in Hercule furente. Improuisa est adeo vis lethi, vt magnam admirationem pariat, quomodo esse possit, quod corpus aliquod recte se habens ad omnes vitæ functiones breuissimo tempore funditus corruat. Tantam in leipyria febre renitentiam alexi pharmacis omnibus obseruauimus, vt mortuis ęgrotantibus secto pectore maculæ nigerrimæ inuentę fuerint per totam pulmonũ substantiam dispersę & altè penetrantes. Pulmones hoc modo variegati Pardi pellem æmulabantur.

Opistotonus in pedum vulnere lethalis,

OBSERVATIO XV.

ITa homo bellorum amans, sanguinisq; auidus est, vt possit dici cum Iuuenale quod cum fėrę eiusdē speciei pare perpetua fruantur homini qui rationem pro propugnaculo, vt ait Phocilides habere deberet.

Ferrum lethale incude nefanda
Produxisse parum est, cum rastra, & sarcula tantum
Assueti coquere & Martis, ac vomere lassi

Nesci-

Nescierint primi gladios excutere fabri.
Adspicimus Populos, quorum non sufficit ire
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultus
Crediderint genus esse cibi.

Crudelitas apud homines plus quam in alijs animalibus regnat, ideo quotidie tuba canit classicum; quotidie armorum sonitus Cœlum resonat, vndique ad arma, ad arma audimus. Iuuenis quidam ense in talo supra os illud, quod Pterna à Grecis vocatur, vulneratus opistotono correptus miserrime perit; vulnus autem erat in tendine illo amplo, & crasso, qui chorda Hippocratis magna vocatur, nẽpe vbi confunduntur quatuor illi musculi, Soleus, scilicet, Gemelli duo, & Plantaris quos potius ad saltũ, aut robur pedum dum ambulant, ne corpus in anteriorem partem corruat, quam ob pedis extensionem fabrefactos esse existimo, nam sicut pes flectitur à Tibieo antico, & Peroneo, e contra extenditur à duobus musculis Tibieo postico, & Peroneo postico; i opistotono vero correptus breui mortuus est similis conuulsio in huiusmodi vulneribus, & in omnibus pedum vulneribus facile accidere potest nam sub illa chorda magna latitat neruus eximiæ magnitudinis, qui per totum pedẽ

diffunditur, ideo pes extreme dolorificus est, quia summopere neruosus existit, & conuulsiones ex pedis vulneribus ortæ lethales sunt, sicuti accidit in quodam alio Iuuene, qui dum imprudenter sclopum, quem vulgo Arcumbusium vocnas tractaret, se ipsum in tarso, & metatarso vulnerãs opistotonò superueniẽte perijt.

Aquæ acetosæ iuxta fontem lapides reperti,

OBSERVATIO XVI.

Nil consuetudine maius.

OVidius ait de arte amandi libro secundo; consuetudinis enim magna vis est si Ciceron. Tuscul. quæst. libro 2. credimus & sicuti nos quotidie experimur.

In prima Pentecoste Iatrologismorum obser. XXVI. scripsimus aquę acetosæ incommoda, & pręsertim de illo auriga, qui calculo vessicę laborabat ob huius aquæ potum, & qui tandem mensibus elapsis perijt; scripsi etiam quod vulgi sententia quandoque erronea est. Quãplurimi Medici tacite obseruationem hanc non satis approbabant, sed experiẽtia màior dubia fugauit. Cũ ad recognoscenda simplicia Romę forisque, sicut meus

meus est: nos longam premerem viam, campaniam Romæ circuendo, aquam acetosam, quæ extra Portam Hostiensem vulgo S. Pauli quarto ab Vrbe lapide distat inueni, cumq; omnia examinarem, scilicet ebullitionem, colorem, odorem, saporem accidit vt lapides concretos circa fontem, vbi aqua lambendo transit, inuenirem; aqua enim materiam lapidosā relinquit transeundo, etiam vbi cadit, quæ in lapidem concrescit, quorum aliquos apud me habeo, qui scopuli Maris odorem, aut, vt melius dicam, Coralline odorem referunt. Hęc aqua melior habetur esse à Populo quā illa, quæ est extra Portam Flaminiam, quam non ita examinaui sed aliquando recte examinabo. Bibant modo qui volunt tanto cum discrimine aquam acetosam; quandoquidem si lapides transeundo tantum aqua prope fontem concrescunt, quid sperandum in corporibus humanis, vbi aliquandiu, si non concoquitur aqua, saltem per aliquod tempus alteratur maxime, & immoratur? Relinquimus nunc quæstionem an scilicet aquæ Thermales copia plus quam qualitate naturam stimulent expellendo. Certum est aquam fontis large potam ventrem soluere (vt sæpius expertus sum) sicut aquas Thermales. Remedia hæc nunquam mihi placuerunt, cum remedia meliora, &

tutiora.& salubriora apud nos habeamus, quæ quotidie experientia comprobātur.

Hydropicorum Paracentesis difficultas,

OBSERVATIO XVII.

TRia in omni arte humana esse debent, vt ait Marsilius Ficinus in Plat. 1. nempe vt singula priusquam fiant excogitentur, mature, strenueque expediantur, & ea forma qua excogitata sunt seruentur, ac fortiter defendantur. Multoties enim, si aliquod ex his deficit ars non perfecte, sed imperfecte fit. Multa dogmata experientia inuenta sunt, sed nō idcirco temulenter, & imprudenter ad experientiam nisi cum validissimis rationibus confugiendum est, nā si postea experimentum fallax redditur timor obruit prudentiam, succeditque id quod vulgo dicitur de cane, qui calida adustus frigidam reformidat, quod confirmat Ouid. lib. 2. de Ponto

Da veniam quæso, nimioque ignosce timori.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Sæpe

Sæpe canem visum longè fugit Agna, Lupumque
Credit, & ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum,
Vanaque sollicitis incitat vmbra metum.

Ideo prudenter tentanda sunt aliqua remedia, sicut in Hydropicis, vbi Medici quāplurimi tētatis perperā remedijs multis ad Paracentesim tanquā ad Tabulā sacram confugiūt. Sciendum itaque quod omnes, quos hoc modo secauimus, perierunt, & hoc potissimum oriebatur hac de causa; nā cū spes in potionibus, cæterisque medicamētis tū internis tū topicis sita sit difficile ægri paracētesim patiūtur; quando postea desperata res est, & ferrū, & ignem sanitatis causa quærūt, sed iam tēpus præterijt, & si fiat paracentesis citius moriuntur. Et agas quoquo modo libet, aut exire sinas aquā paulatim, aut in magna quantitate, inutile erit, & ægri citius moriūtur. Obseruandum porrò est ne ferro candente abdomen aperias, nam peritoneum inflammatur, vt experti sumus. Alia etiam incommoda in hac sectione oriuntur, nempe difficultas claudendi orificium Paracentesis nam nec turunda ex petia, aut gentiana, aut cerato, aut quidlibet sufficit. Quandoquidem abdomen continuo

motu ad motum thoracis omnia respuit. aqua vero ceratum adherere non sinit. Solus æger aut alius admoto semper digito diu noctuque super turundam opus perficit quod est admodum difficile. Melius est itaque dum viscera aliquo modo sunt labefactata paracentesim respuere ægri enim citius moriuntur absque spe vlla salutis.

Foetus mortuus abortu expulsus cum infinitis paruis globulis, qui piscium oua repræsentabant.

OBSERVATIO XVIII.

QVid sentiendum est de morte, quæ truculenta, & immanis omnia obruit?

Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes
Quaque ruit furibunda ruit, totumque per Orbem
Fulminat & cæcis cæca triumphat equis.

Vt ait Ouid. ad Liuiam de morte filij. Cæca inquam, nam senes iuuenes, & nondum natos quod maius est sanguinea falce

falce interficit. Mortuum fœtum abortu expulsum vidimus cum infinitis globulis qui piscium oua repræsentabant. Qua de causa id factum sit perscrutari Philosophorum est. Dicere possemus aut esse superfætationis imperfectionem quamdam, aut maximam vim naturæ generatiuam in humore aliquo pituitoso in vtero redundante; intenta enim generationi alicuius viuentis, tanquam perfectioris, quam rei inanimatæ materiam in globulos efformauerat sicut oua piscium generationi idoneam. Nos hæc posuimus. Dicant perspicaciones quid sentiunt.

In obstructione lienis sitis fuga.

OBSERVATIO XIX.

SI quis diceret pisces per aera natare, volucres per vndas volitare, ceruosque in æthere degere impossibilia, nullaque fide digna proferret. Naturæ enim ordo requirit, vt singula animantia suum elementum cognoscant, in quo viuunt, alioquin incredibile prorsus erit. Sic etiam apud Medicos aliqua miranda monstruosa, & portentosa elucescunt, quæ incredibilia esse videntur sicut in hac obseruatione videbimus. Nam

cum villicus quidam, qui pascua, terrasq; prope turrim D. Laurentij apud mare, custodit D. de Caffarellis obstructionem lienis maximam pateretur, & me interrogante, quomodo biberet (obstructiones enim maximam sitim pariunt ita, vt viderim quandoque ægros siti vexante, vrinam bibisse) se per trimestre æstiui temporis spatium non bibisse ait. Denuo mihi interroganti, num abstineret à potu ne fieret maior obstructio consilio alicuius Medici, an vero paucam haberet sitim eamque facile toleraret, respondit nullam penitus habuisse sitim, & hac de causa nunquam bibisse cum tamen Lienosus sit, & corpore squallido, quæ res in alio homine maximam excitarent sitim. Hanc potus auersionem credimus oriri à pituita quadam viscida, insipida, difficilis corruptionis, quæ meatus Lienis obstruat; & sic dum insipida est sitim non excitat; dum non corrumpitur acrimoniam non acquirendo prohibet potius quemcunque potum, quam sit causa bibendi.

Iuxto-

Intromissio Syringis per mentulam pluries tentata lethalis.

OBSERVATIO XX.

ARtes ex Auerroe 2. Ethic. comm. 1. diuturna consuetudine acquiruntur; homines enim, vt ait Aristoteles 1. Meta. in prohemio experientia artes, ac scientias consequuntur, quod optime cecinit Manil. lib. 1. Astronomic.

Per varios vsus artem experientia fecit.
Exemplo monstrante viam.

Ideo vt plures casus, plura salutaria, aut infœlicia sciat Medicus necesse est, vt experientia sit edoctus. Sed audias lector experientia non consistit dum quis in arte consenescit tantum, sed dum quis oculis Lynceis omnia videt omnia obseruat, quę faciunt ad rem. Vidi iatros aliquos ita Medicinam exercentes vt pudeat dicere. Experientia constat in obseruando ægros & secando mortuos, atque his similibus laboribus, in quibus cũ aliquot annos impenderim quãplurima salutaria in lucem propono. Aegri in quibus aut imminuta, aut suppressa est vrina diligentèr intromissione Syringis tangendi sunt partes enim illæ sœpius tactæ facile lęduntur; sępius quoque vęsica sanguinis grumis repletur, vt mortem etiam inferat.

In

In obstructione Lienis maxima, spiritus vitrioli cum iure propinatus ad extinguendam sitim, ventrem mirifice soluit, ægerque liberatur.

OBSERVATIO XXI.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Ouidius lib. 4. de Ponto sic loquitur. Cũ autem in Medicina sepius accidat lusus iste, ex abrupto vbi desperas spes oritur, & sanitas. Ob hoc igitur Medici fere omnes, etiam si ægri sint desperati, non relinquunt prognostico tãtum, cum quotidie experiatur, quod Deus & Natura etiam desperatos à morte vindicent, ita etiam in alijs casibus res eueniunt inespectatæ.

Cum villicus quidam lienosus siti maxima torqueretur ius cum tribus, aut quatuor guttulis, spiritus Vitrioli sumpsisset ad temperandum immodicæ sitis æstũ, ex hac potione ventre soluto plus quam quadragies siti, & obstructione lienis liber conualuit. I nunc Medice, & morborum euentus prænuncia.

Lapis

Lapis per excreatum expulsus.

OBSERVATIO XXII.

AB Adriano Imperatore Secundus Philosophus interrogatus, quid esset Mors? vt refert, Diogenes Laertius de vita, & moribus Philosoph. respondit, Aeternus somnus, dissolutio corporum, diuitum pauor pauperum desiderium, ineuitabilis euentus; incerta peregrinatio, latio hominis, somni pater, fuga vitæ, viuorum discessio, resolutio omnium. Ad hanc omnes mortales tendimus, ad hoc nati sumus; moriendum est enim omnibus, vt ait Cicero Tusculan. quæst. lib. I. Verum per tot casus per tot pericula, per tot monstruosa vita hominum ambulat, vt quotidie admirari liceat humanæ miseriæ calamitatem. Senex quidam cum tussi tentaretur ex abrupto excreando violenter lapidem expulsit. Tam in fœlicibus, quàm in sinistris fortuna ludit.

Vter

Vtero gerentes primis mensibus ne copia sanguinis fętum obruat, dummodo sint sanguineæ Phlebotomia ab abortu sunt præseruandæ.

OBSERVATIO. XXIII.

PRudentia secundū Plotini Enne. 1. sententiā est precipua quędā ratiocinatio, & circa magis vniuersale versatur, cōsiderat enim numquid in præsētia sit cohibendum, & abstinendum, an in posterum, an omnino melius aliud, & quæ vicissim consequātur, quæ non animaduertit; nam, vt ait Io: Pontanus lib. 3. de prudentia, non solum prudentis viri munus est rebus vbiq; suis prospicere, illisque, ac sibi bene, recteque consulere in omnem vitæ partem, sed etiam nihil aut negligere aut prætermittere, quin omnia potius excogitare, eaque acute perspecte, et caute, quandoquidem prudētia meditationis comes est, quam qui habet optimus est vt ait Aus. de lud. 7. sap.

Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne, qui prius negotiū.

Maximam solertiam in prægnantibus ad præcauendum abortum Medicus habere debet, quandoquidem sæpe ob huius defectum

fectum prægnans abortit. Quamquam pregnantibus sanguis non sit detrahendus communiter vniuersali quadam methodo, tamen in quibusdam in quibus veremur, ne copia sanguinis fœtum obruat primis mensibus ex brachio sanguis est detrahendus. Nos semel & bis huiusmodi, Phlebotomiam celebrauimus in eadem prægnante dum opus fuit fœliciter.

Hydrops in puella nimio potu sanatus.

OBSERVATIO XXIV.

PVeri, vt bestiæ qnasi nihil pensi habent, sed & quocunque voluptas trahit prorumpunt, & vndecunque retrahit dolor aufugiunt ex Marſ. Ficino in Pla. ipsi enim non ratiocinantur, sed quocunque sensus, & dolor ipsos allicit, aut retrahit se vergunt, ideo Medicorum aliqui difficile fœminas, & pueros mederi volunt, nam sicut hæ lubricæ, incostantes, variabiles, & inobedientes, sunt, sic illi modo aiunt, modo negant, modo volunt, modo recusant, tã fragilis tã instabilis ipsorũ est Natura? Hac de causa igitur impositę regulę parere nequeũt sicuti puellę, contigit quæ, cum Hydrope lethali torquetur iubẽtibus nobis potus

cuius-

cuiuscunque fugam, vt fieri debet tantã aquæ quantitatem aliquando bibit, vt rumpi videretur. Sed quoniam, vt aiunt Fortuna pueris, & stultis auxiliatur alui fluore oborto pristinæ sanitati restituta conualuit.

Triplicis quartanæ crescentis, & decrescentis differentia.

OBSERVATIO XXV.

RHetor ex Aristotele lib. 1. Topic. non semper persuadebit, nec Medicus semper sanabit, indurati enim aliquãdo audientium sunt animi, vt Rhetoris verba non admittant, ita etiam aliquãdo radices posuit altius morbus, vt Medici opem, & auxilium contemnat. Medicorum itaq; summa laus est futurum morbi euentum prenunciare, maximo enim in honore apud homines erit.

Triplicis quartanę duplicem differentiã obseruauimus, altera enim semper crescit, altera vero decrescit. Exemplum crescentis hoc modo erit v. g. Prima die quartana erit sex horarum, secunda die duodecim, tertia decem & octo. Quarta die regreditur prima sex horarum, & sic deinceps. Exemplum crescentis contrario modo est; nam prima die erit decem

&

& octo secunda duodecim, tertia sex horarum. Quarta decē & octo ad circuitū primę, & sic reliquę. Triplicem quartanam pluries experti sumus, quæ vt optime obseruaui Medicos aliquos fefellit, credēdo quod esset dupplex tertiana. Prognosticum hoc est. Triplex quartana crescēs lethalis est, decrescens vero non ita.

Luxata vertebra ceruicis secunda pluribus diebus æger vixit.

OBSERVATIO XXVI.

Boetius lib. 2. Metro. 1. de Fortuna loquendo sic ait.

Hæc cum superba verterit vices dextra
Aestuantis more fertur Euripi.

Et paulo post subdit

Non illa miseros audit, aut curat fletus.

Hanc quotidie, & miseri & beati experiuntur, qua de causa Menāder cecinit

Mortalia omnia mutationes multas habent:

Sed facilius ruit illa in deterius, quam in melius, & si in vno ludit id efficit vt cœteros fallat Opes, honores, salutem fortuna regit, sed in salute præsertim eius vis maior apparet. Rusticus quidā

ex

ex arbore decidit, ceruicisque vertebram secundam prope athlantem vertebram (vt ex mortui sectione obseruauimus) luxatam habens hoc modo per quamplurimos dies vixit, vbi alios breui temporis spatio mortuos vidimus, quanquam admodum magna luxatio esset.

Vini vsus pueris perniciosus.

OBSERVATIO XXVII.

Pueri secundum Aristoli 3. Ethic. sententiam viuunt secundum concupiscentias, plurimaque est in illis voluptatum cupido, ideo, vt iubet Agesilaus, pueris potissimum discenda sunt ea, quibus vsui sint, & cum ad virilem peruenerint ætatem; sequuntur enim maxime voluptates, qua de causa si multa requiritur industria in puero educando ne malis moribus imbutus crescat, nō leuis est etiā momenti diligenter animaduertere, vt sanitas illius non deficiat, infirmaque reddatur. Vini vnus pueris admodum est perniciosus tum ad morum corruptelā, tum ad sanitatis noxā. Credas equidem Lector, quod in abusu educationis puerorū scripsi vt hodie ex frequēti vini vsu infātes maximis, periculosissimisque morbis torquētur. Consilium meum itaque est, vt ab hominibus vini vsus in pueris explodatur secun-

secundũ Aristotelis sententiam de somno & vigilia, asserẽs, quod neque pueri, neque eorum nutrices vinum bibere debent, nihil enim forsan differt ipsos bibere, vel nutrices, sed oportet bibere aqua dilutum, & modicum, & non sicut abusus communis hodie vagatur, multi enim pueri vinosi, bibaces, & ebrij admodũ sũt.

Imminutio visus nimio coitu orta, Reparatioque eiusdem visus coitu fugato; restituta.

OBSERVATIO XXVIII.

AD explicandum quantum mulierum libido hominibus contraria sit Hesiodus mire explicat in Theogonia dum minime ducendam vxorem ei, qui senescere cupit ait. Secundo autem lib. operum, & dierum asserit vxorem absque titione virum quantumlibet fortem vrere, crudæque tradere senectuti; absque titione dixit idest absque aliquo apparente igne, sed tacita quadam vi, quod confirmat Cornelius Gallus, vel si alius is est de Lycoride

Iamque alios iuuenes, aliosque requirit amores:
Me Vocat imbellem, decrepitumque senem.

Nec

Nec meminisse volet transactæ dulcia vitæ,
Nec quod me potius reddidit illa sinem.

Virgilius aut si quis alius est in indecoro carmine Priapum sic loquenté inducit.

Porro (nam quis erit modus quirites?)
Aut præcidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ sine fine prurientes
Vernis passeribus salaciores,
Aut rumpar, nec habebitis Priapũ,
Ipsi cernitis,

Et paulo post

Desecit latus, & periculosam
Cum tussi miser expuo salinam,

Propagandi tantum causa Venus, celebrari debet

Vina sitim sedent, Natis Venus alma creandis
Seruit; finem horum, transiluisse nocet.

Iuuenis quidam ob nimium coitum visum amiserat, vt parum cerneret. Medicorum consilio coitu in posterum fugato visum recuperauit, cum etiam quotid e ieiuno corpore frustulum cinnamomi ad prohibendam fluxionem, quę in oculos ruit comederet.

Sanguis

Sanguis grumosus in corde.

OBSERVATIO XXVIII.

EXperientia secundum Io: Pontan. lib. 4. de prudentia eorum, quæ prudenter gesta, recteq; sunt administrata testimonium perhibet; experienti enim vt ait Galenus de sanit. tuenda fidem inuentorum comprobat, sed, non nimis curiose experiri aliquid debemus, sed solum ad indagandam veritatem experiẽtia celebranda est, alioquin aut negligentia talpas nos reddit, aut nostræ opinionis amor, etiam si Argum parui facimus, vitrum lusorium oculis nostris imponit, vnde confundimur, & fallimur. Hoc dixi nam aliqui secando corpora dũ aspiciũt aut in corde aut in aliquo alio magno vase sanguinem concretum, sicuti in omnibus cadaueribus apparet, statim aut sanguinem grumosum, aut cornua ceruorũ aut vermes lethales in corde reperisse, asserunt, cum re vera nihil horum sit, sed sanguis frigiditate cadaueris concretus cũ adipe, qui secundum vasa volubilia & tortuosa ita diuersas figuras ostendit. Non negauerim tamen in corde has res reperiri posse sed solliciti, & experti esse debemus. Sanguinem grumosum in sinistro & dextro ventriculo cordi interne affi-

affixum semel tantum obseruauimus (in tot quos secauimus) in quodam iuuene, ex febre ardentissima mortuo, non concretum nigricantem, & stagnantem, vt in alijs, sed maxime rubrum aliquantum flauescentem in cordis ventriculis maxime adherentem, vt secerni non posset citra lacerationem.

In Capitis vulnere surdus, & mutus redditus æger, post quindecim dies recuperata voce, & auditu conualuit.

OBSERVATIO XXX.

SIcut inquit Terētius in Eunucho quod
Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

Ita aliqando multa exempla, & multæ res, quæ acciderunt de nouo emergunt, & sicut ait Horat. in arte Poetica.

Multa renascentur quæ iam cecidere.

Legeram in Valleriola lib. 5. obs. 9. quidam sutor Auenione in capite graui vulnere percussus resolutione simul & conuulsione post septimam diem correptus, & sine voce mutus dies totos septem mansit. Ita fuit iuuenis, quidam mutus per

per septem diem ex vulnere capitis cum ex alto cecidisset, sed cum hac differentia, quod neque resolutionem, neque cõuulsionem habuit, sed surdus mansit. Decima quarta die vocem, & auditum recuperauit. Exitus ancipientes in capitis vulneribus, & citra spem eueniũt, nam aliquando quos sanandos credimus, ex simplici vulnere pereunt. Contra, etiam quos perituros affirmamus sanantur.

Ex distillatione à capite ad pulmones insipida, Phtisis, deinde mors oborta.

OBSERVATIO XXXI.

IVdicis officium, vt res, ita tempora rerum
Quærere, quæsito tempore tutus erit.

Ita canebat Ouid. lib. 1. de Tristib. ita etiam in Medicina fieri debet, nam de salute, quæ nullo argento, auro, gẽmisque, compensari potest tractatur, Cum morbus aliquis vel leuiter ægrum torquet, non breui examine morbi naturam iudicare, sed sollicitudine maxima diligenter inquirere omnia debet Medicus Hæc

S   si se-

si fecerit optimus erit. Cum aliquando insipidam distillationem à capite ad pulmones sutor quidam haberet, Medicus quidam neglecto morbo ipsum dereliquit, æger vero non multum post tēpus Phtisi correptus mortuus est. Etiam si materia primum esset insipida, & hac de causa nullā haberet acrimoniam, tamen processu temporis corrupta cum efficaci ac virulenta acrimonia Phtisicum reddidit ægrum, quo facto breui temporis spatio mortuus est, Attente enucleanda sunt omnia; negligentia enim alicuius rei aspectu vel leuissimæ sæpe maximam noxam infert.

Hysterica Vestalis ad mortem vsque redacta Phlebotomia in ipsa lipopsychia celebrata conualuit.

OBSERVATIO XXXII.

QVi serere ingenuum volet agrum
Liberat prius arua fruticibus,
Falce rubos, filicemque resecat.
Vt noua fruge grauis Ceres eat.
Dulcior est, apium mage labor
Si malus hora prius sapor edat.
Iratius astra nitent, ubi Notus
Desi-

Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer vt tenebras pepulerit
Pulchra dies roseos agit equos
Tu quoque falsa tuens bona, prius
Incipe collo iuga subtrahere,
Vera dehinc animum subierint.

Boetius lib. 1. metro. 3. sic monuit. Mulieres, etiam si optimæ sint, tamen, vt ait Hippocrates in Epistola ad Dionysium, habent opus moderatore ad resecandos quotidie lasciuiæ ramos; quare optimum Christianorum inuentum fuit illas virgines inter claustra tueri. Sic enim tanquã flores odoratissimi suauitate & flagrantia Mundum, Cœlumque implent. Verum Moniales sæpe hystericis passionibus cruciantur, copia sanguinis præsertim, in quibus Phlæbotomia in ipso animi deliquio est celebranda Vestalem hac de causa agentem animam apud SS. Quatuor Coronatos Phlebotomia sanitati restituimus, cum adstantes Moniales ante exitum me temerarium appellarent.

Quintana lethalis cum tertiana duplici continua copulata.

OBSERVATIO XXXIII.

TRismetisthus ille Mercurius, maximus scilicet Philosophus, maximus

 Sacer-

Sacerdos; maximusque Rex Mortem ita descripsit. Mors efficitur dissolutione, corporis, & numeri completi, quo corporis membra in vnum compositum ad vsus vitales accommodantur; quæ dissolutio infinitis, vt ita dicam modis fit, semperque noua, & ignota lethi arma Mors gestat. Reuerendus Pater Sacerdos Ordinis Prædicatorum Reformatorum in S. Xysto hic Romæ Prior bis prima die febri correptus est cum maximis rigoribus, quarum altera tertiana cōtinua erat, altera vero quintana; secunda tertia, & quarta die duæ tertianæ continuæ ægrum torquebant: quinta die redijt quintana, quæ hoc modo ægrum oppiune tertio tandem circuitu nona scilicet die dum apparuit ægrum interfecit. Nec Hercules contra duos; quid itaque fieri poterat contra tres febres pessimas continuo ægrum cruciantes, quintanam scilicet lethalem, duasque tertianas continuas?

Monstruosa calculorum eiectio.

OBSERVATIO XXXIV.

HOmo Profecto (vt inquit Plotin. En. 2.) est tam pulchrum opificium, quā pulchrum esse potest. Huius dignitatis excellentiam auctores recensere volen-

tes

tes hominē Microcosmū ad Macrocosmi similitudinem tanquam paruum mundum appellauere, cupientes, vt reor, nocis indicare, quod omnia quæ sunt in Mūdo magna, & mirabilia sint etiam in homine. Præter cætera quæ passim connumerantur calculorum generatio, & copia mirabilis est, tanquam natura humana Latomias etiam haberet. Mulierem curauimus, quæ duorum mensium spatio plus, quam quadringētos calculos excreuit per vrinarios meatus differentis tamē magnitudinis propinato spiritu Vitrioli cū aqua graminis ad aciditatem. Altera calculos tam duros excreuit vt Pyritem lapidem æmularentur, percussi enim calybe flammam euomebant.

Vasa spermatica ex vtraque vena, & arteria emulcente in vtraque parte ortum ducentia.

OBSERVATIO XXXV.

B*Reuissima hominum vita est.*
Nec nasci bis posse datur, fugit hora, rapitque
Tartareus torrens.

Ex Sillio Italici lib. 15 bell. Punic. Solū ad compensandū hoc, & vt aliquo modo

 immor-

immortales homines reddantur inuita morte Natura prolem inuenit, in qua homines Mortis arma fugiunt. Verum ad procreandam sobolem non omnis est aptus; aliquis enim sterilis, aliquis prolificus est. Mortuum secuimus, qui ab vtraque parte vasa spermatica ex emulgentibus venis, & arterijs, orientia habebat. Huius semen cum admodum aquosum, & frigidum esset ob serosi humoris copiam generationi erat summopere ineptum.

Atrophia correptus citrio malo conualuit.

OBSERVATIO XXXVI.

QVidam Brixiensis de se dicere poterat cum Ouidio lib. 2. de tristib.

Ossa tegit macies, nec iuuat ora cibus.
Quique per Autumnum percussit frigore primo
Est color in folijs, quæ noua læsit hyes
Ismea menbra tenet, nec viribus alleuor vllis,
Et nunquã queruli causa doloris abest.

Nam cum letho vicinus esset, & ob continuam febricitationem in Atrophiam incidisset Citria mala summopere appetens vnum integrum, & magnum, quatuor librarum pondere comedit, quod vt scimus

ſcimus commanducatum à quolibet ſano difficillimæ concoctionis eſt;tamen æger hic citro deuorato melius ſe habere incepit & conualuit. Indulgeant quandoq; Medici ægrorum voluptatibus, ſed cum modo, & menſura,multoties enim Natura à nullo edocta vi teporis ætherei id, quod eſt ſibi vtile maximopere appetit.

Melancholici quomodo tractandi.

OBSERVATIO XXXVII.

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Sic imperabat Ouid.3.de Ponto.Multis in morbis frequētata remedia ruere ægrum in deterius cogunt.

Hic Romæ vbi frequentiores, quam alibi ſunt Accademiæ, vbi virtutes pullulant, vbi cōcurſus doctorum hominum (alia loca non negligendo) frequentiſſimus eſt ob ſtudiorum frequentiam Melancholici vt plurimum redduntur homines; Nobiliores enim ſpiritus in ſtudio conſumpti,cum alijs cauſis copulatis,hūc morbum præcipue generant. Hos vero ita affectos melius eſt fouere verbis ſpe

plenis, medicamentis odoratis, & corroborantibus, quæ scilicet spiritus dissipatos resarciant, membraque affecta recreent, quam alijs Pharmacis.

Sed quo vergo? de hoc morbo doctissime scripsit nuper Paulus Zacchias inter Romanos Medicos celeberrimus, ideo ad illius librum lector, te remitto.

Auersio odoris aquæ florum aurantiorum in muliere, cum tamen ceteros odores auidius appetat,

OBSERVATIO XXXVIII.

NEc tellus eadem parit omnia vitibus illæ
Cõuenit, hęc oleis, hic bene farra viret.
Vt ait Ouid. *lib.* 1. de arte amandi sic nos etiã qui nihil aliud quam terra sumus secundũ diuersitatem complexionis, quam habemus ita etiam à Natura differentes res habemus.

Mulierem vidimus, quæ quotiescunque aquæ florum aurantiorum odorem sentiret tantam auersionem habebat, vt deliquio animi corriperetur, nisi amota fuisset aqua, cum tamẽ cæteres odoribus maxime delectaretur. Vnde hæc differẽtia (Vnde tanta auersio? Certè dicere possu-

possumus teporem æthereũ plurima miranda perficere, plurima etiã m fieri à non ente ex priuatione. Plura qui velit legat libros nostros de Elementis, eorumque mixtione. Homo & iam fuit qui olfaciendo rosas sincope corripiebatur.

Epilepsia imprudenter igne sanata.

OBSERVATIO XXXIX.

Elleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit
Poscentes videas venienti occurrite morbo.

Persius Satyr. x. sic meminit; Morbus enim cum iam confirmatus est medicamenta respuit omnia, vel violentissima; attamen quandoque rara eueniunt. Epilepticum iuuenem vidimus, qui in ignem corruens summopere pede adusto nunquam Epilepsia in posterum correptus est. Hoc exemplo edocemur in cerebris morbis, quantum valeat ignis, ad curandum, corroborandumque.

In vrinæ suppressione Renes admodum magni reperti.

OBSERVATIO XL.

O*Pprime dum noua sunt subiti mala semina morbi.*
Ouid.lib.1.de rem. amor.sic cecinit.Medicus si hoc fecerit ab omnibus amatus admodũ erit.Mora enim morbus radices altius iacit, quæ principio Morbi neglectæ ægrum in desperationẽ ducunt,attamen non semper incipienti morbo remedium parare possumus, multoties enim ægri non loquuntur prius, quam morbi iam sint confirmati. Mortuum iuuenem ex vrinæ suppressione secuimus, in quo renes monstruosam magnitudinem adepti inuenti fuerunt. Vrina tamen in vesica nulla aderat sed suppressio ex renum imbecillitate, scilicet, ex vitiata attractrice orta erat.

Mulier

Mulier quolibet Menſe bis Menſtruata.

OBSERVATIO XLI.

N*Aſcitur ad fructum mulier, prolemque futuram*, vt cecinit Claudianus in Eutropio lib. 1. Ad hoc præcipue Natura creauit illi mãmas, ſanguinemque menſtruũ hominibus negatum elargita eſt, cum enim fœtus tũ ante, tum poſt partum conuenienti indigeat alimento, ideo quoquo menſe dum mulier aptam ætatem ad procreandum habet, habet etiam ſanguinis copiam, magnam; ad hoc vt nutritio & auctio fieri poſſit cum ſanguine ante partum, poſt partum vero lacte. Cum vero mulier neque lactans neque vtero gerens eſt, ſanguis quoquo menſe excernitur in aliquibus plus, in aliquibus minus. Mulierem vidimus, quę bis quolibet menſe, in maxima quantitate menſtrua eijciebat citra ſanitatis noxam, imo optima fruebatur valetudine.

Mulieris morſus venenatus.

OBSERVATIO XXVIII.

MVlier, vt ait Seneca in Prouerb. aut amat, aut odit, nihil eſt ter-

tium, sed pronior ad iram est, maximeque appetens vindictæ, vt testatur Iuuenalis Saty. 13.

Vindicta

Nemo magis gaudet, quam fœmina.

Ob quam causam omnium primæ inuenere veneficia, & venena, atque vbi arma in promptu non habet mulier efferascit tanquam rabie vexatus canis. Vidimus mulierem senem quæ multas post iniurias alteri mulieri manum momordit. In quo vulnere tanta erat veneni vis, vt parum defuit quin brachium totum cum maximo vitæ periculo resecaretur. Attamen placente Deo maxima Cheirurgi industria sanata mulier conualuit.

Myrmecijs remedium optimum.

OBSERVATIO XXXXIII.

MVnditiæ placeant, fuscentur corpora campo
Sit bene conueniens, & sine labe toga:
Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pallenatet:

Nec

Nec male deformet rigidos tonsura capillos:
Sit coma, sit decta barba resecta manu:
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris:
Nec lædat nares, virque: paterque gregis:
Cœtera lasciuæ faciant concede puellæ.

Has regulas Ouid. in amatoria arte recenset, vt vir hoc modo ornatus fœminas alliciat, de suisque amoribus triumphet. Verum sicuti fœmineam vt ita dicam Mundiciem in homine non approbo, tamen nullam reprobo presertim aliquibus morbis sicuti scabiei &c. mederi valde vtile, & necessariũ Medico existimo, cum enim homo natus sit ad societatẽ, si aliquam in corpore fęditatẽ habet statim amicorũ, aliorumque intuentium oculos lędit. Inter quas fęditates pręcipue sunt Myrmecię verrucę scilicet illę à Gręcis sic appellate, quas Itali vulgari sermone (Porri) vocant. Remedium optimũ in memetipso experientia edoctus probaui, si myrmeciæ tangantur sudore illo qui emanat ex lignis quibuslibet dum vruntur. Aduertendum autem est, quod non subito euanescunt, sed cum semel aut bis illas tetigeris hoc sudore procesſu temporis inter tres, aut qua-

quatuor menſes ad ſummum dum ãmplius nihil cogitas, myrmecias ex abrupto fugatas vides, nec vnquam renaſcuntur. Minima eſt res, ſed quandoque ex rebus minimis pulchræ obſeruationes oriuntur. Morbus hic, quantumlibet ſit paruus, tamen Herculeus anguis eſt ſeptem capitum ſemper renaſcentium maiore cum fœcunditate, & quod peius eſt, nec ferro, nec igne domari poteſt, vt alias obſeruauimus: hoc tamen leui medicamine enaneſcit.

Papauer damnoſum in cibis puerorum adminiſtratum.

OBSERVATIO XLIV.

Scit bene venator ceruis vbi retia tendat,
Scit bene, qua frendens parte moretur aper.
Aucupibus noti frutices, qui ſuſtinet hamos
Nouit, quæ multo piſce natentur aquæ.

vt inquit Ouid. 1. de arte amandi: Sic Medicus experientia edoctus, quotidie vtilia, aut contra inimica, & nocua obſeruat. Impatientes nutrices, aliæquæ matres

matres pueros suos lachrymantes, & aliquo modo implacabiles videntes statim ad Papauer confugiunt, idque in cibis administrant. Aduertendum tamen est cerebrum infirmissimum esse in pueris, & ab eo maxime lædi, sicuti sæpe obseruauimus. Pueri modo tormina, modo vermes, modo dentes, modo aliud patiuntur: diligenter itaque considerandum est, à quo primum ortum habeant vigiliæ, & lachrymæ, ipsique remedia adhibeantur, & non ad Papauer confugiendum est, cum maxime damnosum sit.

Faucibus exsiccatis in febribus ob igneos vapores cum magno vitę discrimine, vsus aquarum refrigerantium maximè opitulatur.

OBSERVATIO XLV.

QVid est homo, vt ait Seneca de cons. ad Mar. imbecillum corpus, & fragile nudum suapte natura, inerme, alienæ opis indigens ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, cuiuslibet fere pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis, fluidisque contentũ, frigoris æstus,

æstus, & laboris impatiens ipso rursus situ, & ocio iturum in tabem. Terra enim ex Plutarcho nihil nutrit imbecillius homine nam sæpe tanquam flos (vt in sacris paginis habemus) egreditur, & conteritur. Sæpe vero etiam resurgit ille, quem mortuum credebas. Ardentibus in febribus fauces ita exsiccatas vidimus à vaporibus igneis caput petentibus, vt fere suffocarentur. Administrato vero aquarum refrigerantium potu ægri à suffocatione necisque periculo illæsi conualuerunt.

Hęmorrhoidalis sanguinis citra sanitatis periculus monstruosa eiectio.

OBSERVATIO XLVI.

IN sequenti obseruatione, mirabilem rem de voluntario hæmorrhoidum fluxu narrabimus, nunc agendum nobis erit de altero fluxu mirabili, & monstruoso hæmorrhoidalis sanguinis citra sanitatis periculum. Cum genus humanum, vt ait Marsilius Ficinus lib. 1. de Theol. Plat. propter animi solicitudinem, corporis imbecillitatem, & omnium rerum indigentiam duriorem, quam bestiæ vitam agat in terris, si eundem

dem viuendi terminum Natura illi, vt cæteris animantibus dedisset nullum animal esset imbecillius homine. Ideo mirum non est, si quandoque Natura humana, vt alias dixi agit instincto quodam Diuinitatis. Nobilis Hispanus, quotidie libram sanguinis quatuor abhinc annuis per hæmorrhoidales venas excernit, optimaque fruitur valetudine. Consideres lector, vnde quantitas tanta erumpere possit, cum vsque ad hanc diem plus, quam mille libræ sanguinis fluxæ sint.

Voluntaria Hemorrhoidalis sanguinis eiectio.

OBSERVATIO. XLVII.

SI ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Sic ait Horatius od. 12. lib. 1. Salus enim inter Fortunæ bona existimatur, quod confirmat Menander inter Græciæ Comicos peritissimus, dum ait.

Non est quicquam in vita præstantius sanitate.
Sanitas & mens, bona vitæ duo.

Verum

Verum ad ipſam conſeruandam hoc opus hic labor eſt, cum enim ex cõtrarijs elementis inuicem pugnantibus corpora noſtra ſint conſtituta mirum non eſt, ſi plurimum difficultatis ad ipſam tuẽdam inueniamus, ſed hoc nihil eſſet niſi Natura inſtinctu quodam æthereo agens toto conatu ad indiuiduum conſeruandum incumberet. Senex quidam, cum non recte ſe haberet, dum eſſet iuuenis, erumpente ſanguine ex hemorrhoydalibus venis ſanus fiebat, ſed, quod mirum eſt, Natura ex iteratis actibus motum naturalem in voluntarium conuertit. Tam facilis eſt, hæc ſanguinis eiectio in dicto ſene, vt cum aliquo modo male ſe habeat, tunc plus vel minus ſanguinis quantumlibet excernit, & bene ſe habet.

Fluoris mulieribus remedium optimum.

OBSERVATIO. XLVIII.

SAepe in arcanis Naturæ latent aliqua remedia paratu facilia, morbis mirifice conuenientia, & ſic vbi ſunt.

Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

Fluor muliebris, qui originem ducit ex

crudis

crudis humoribus à sedentaria & nimiũ ociosa vita ortis maximæ cõsiderationis est cum diuersi incurabiles morbi ex ipso oriantur. Nos sæpius hoc remedio hũc morbum sanauimus, non neglectis tamen alijs circumstantijs, & purgatione vniuersali, nempe nucis Pineæ decocto, cum ligni Visci quercini portione in potu administrato. Mirabile remedium est huic morbo egregium, sicuti nos pluries obseruauimus.

Phthisici sputum virulentum muscas enecans.

OBSERVATIO XLIX.

Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quisquam spondere potest
Primum, & stabile, perque casus
Voluitur varios semper nobis
Metuenda dies.

Vt ait Seneca in Octauia. Varij sunt casus, per quos hominum vita ad interitũ tendit. Quæ maior desperatio homini contingere potest, nisi fortitudini innixus aduersa non timeret, quam, quod venena nobis inimica nostris in corporibus oriantur. Equidem varij casus, varia fortuna! Antonius Landinus Bibliopola

Phthi-

Phthisicus sputum purulentum excreabat, quod si leuiter Muscæ libabant statim moriebantur. Quæ maior putredo, quod maius venenum? Muscæ enim cũ semper in sterquilinijs, putridis, venenatisque locis degant, tamen hoc sputo, vel leuiter libato moriebantur.

Nimia mulierum intemperantia & non malacia tantum fœtum deturpat.

OBSERVATIO L.

NEmo erit perfecte temperatus, nisi voluptatibus, & cupiditatibus ad imprudentiam, & iniuriam compellentibus fortiter repugnauerit, ac ratione, opereque, & arte tam iocosis, quam serijs in rebus deuicerit cum Platone. 1. de Legib. In hac virtute mulieres parum crescunt, sed natura debiles (non loquẽdo de omnibus) ad extrema vergunt. Animus earũ potius quàm ad fortitudinem, & temperantiam ad amores, & ad ludos procliuis est. Audiamus Ouid. 1. de arte amandi,

Vt redit, itque frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum, dum vehit ore cibum.

Aut

Aut vt Apes; ſaltuſque ſuos, & olentia nactæ
Paſcua per flores, & thyma ſumma petunt
Sic ruit in celebres cultiſsima fœmina ludos,
Copia iudicium ſępe morata meum eſt.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ,
Ille locus caſti damna pudoris habet.

Aut vt ait Propertius loquendo de illis

Sed vobis facile eſt verba, & componere fraudes.
Hoc vnum didicit fœmina ſempe opus.

Maſcula virtus eſt: ideo raro cum mulieribus cohabitat, qua de cauſa vitijs abundant, ſed præcipue intemperantia, præſertim cum vtero gerunt, vnde fœtus ob ineſplicabilē gulam fœdant, & deturpant. Adeo enim intemperantes ſunt, vt ſi deſiderium illarum non expleatur non fœminę, ſed ſerpentes eſſe videntur. Hinc puerilia, hinc lachrymæ, hinc animi deliquia, hinc cætera: magiſque illarum gula creſcit, habent enim pro æterno axiomate propter abuſum illarum, & propter maritos nimis vxorios illud dictũ Iuliæ ad Caracallam. Si libet licet. Hac de

cauſa

causa cupiunt negata, noua quærunt, obiecta proijciunt impossibilia appetunt, vt magnum negotium habeat, si quis mulierem gubernare velit iuxta illud Plauti in Pœnulo

Negotij sibi volet vim parare, nauem, & mulierem.
Hæc duo sibi comparata, nam nullæ magis res duæ.
Plus negotij habent.

Quare fetus in lucem editus maculatus non Astra, non Fatum, non Fortunã, sed matris immodicam intemperantiam accuset.

Non negabo tamen pręgnantium malaciam aliquando vehementẽ esse, ita vt si ipsis non satisfaciamus oriri possit abortus, sed reprobo ingluuiem illam; scimus enim quod fortis imaginatio facit casum, at vbi imaginatio fuerit refracta à temperantia, vtique casus non aderit, quomodo non adest, vt præcipue in Domitilla Zannetta nobilis animi, masculæque virtutis fœmina obseruaui, quæ pręgnãs cũ sępius vario appetitu coacta eodẽ tempore oculos, nasum, frontẽ, aliaque mẽbra incõsiderate tetigisset, tamen, quia vim patiebatur temperantia edocta, vbi omnes fœtus maculatum expectabant immaculatus infãns in lucem exijt.

Consilium meum itaque est, quod reprehendantur fœminæ prægnantes, ne in

in ſimilibus malacijs toto conatu, totis viribus incumbant ad explendam ſatietatem, ſed prudenter expectent donec cupiditas illarum (dummodo iuſta ſit, iniuſta etenim damnoſa eſt & matri, & fœtui) expleri poſſit. Si hoc fecerint ſemper pulchri & immaculati naſcentur infantes, qui ob malaciam turpes & maculati in lucem prodirent.

Explicit Pentecoſte ſecunda Obſeruationum Medicinalium.

ITINERARIVM SOLIS

HOROLOGIVM MIRABILE

IN QVO

Absque Quadrante, Astrolabio, aut Magnetica sagitta inueniuntur horæ diurnæ.

DOMINICI PANAROLI ROMANI

Philosophi, & Medici.

MIrabile admodum itinerarium est hoc nostrum horologium verticale absque Quadrantè, Astrolabio aut magnetica sagitta, vt cætera indigent, à nullo quod sciam, vsque ad hanc ętatem inuentum, idque facili methodo describemus; Sed antequam ad explicationem huius Horologij deueniamus illud admonitũ Lectorem esse volumus vt sciat, quid sit arcus, quid sit linea parallela, quid sit quadrans, ejusque vsum sciat in Horologijs describendis, quid sit ducere lineas ad angulos rectos, easque sciat, & similia, quas etiam res si aliquis nesciat dimidiæ horæ spatio facillime discere potest. Nos non posuimus quamplurimi enim auctores id explicant. Descendamus modo ad explanationem Horologij.

Explicatio primæ Tabulæ.

DAta recta linea A. B. quæ erit Meridiana ducantur duæ lineæ parallelæ, quæ lineam Meridianam secent ad angulos rectos scilicet Z. & A, quæ erit linea astronomica & X. V. æquinoctialis sicuti in Horologijs alijs fit ad libitũ secundum magnitudinem Horologij, quam volumus. In centro A. ducatur arcus V. st. &. postmodo accepto complementò quadrantis secundum altitudinem Poli, quam volumus (nos hic Romę vbi

vbi altitudo est grad. 41. 50. accipimus complementum 48. 10.) in V. circino infixo secabimus Arcum in F. Eodem spatio circino infixo in F. secabimus eumdem arcum in st. ex quibus punctis st. scilicet & V. si lineam duxeris habebimus radium æquatoris E. st. Si postea in A. & F. ducatur alia linea conspicuus nobis fiet axis Mundi A. C. Vbi vero axis Mundi, & radius æquatoris intersecant sese ad angulos rectos in puncto D. ducta linea parallela astronomicæ insurget linea Y. D. X. orizontalis, in eaque locum & longitudinem stili inueniemus. Nempe *a.* erit locus stili, longitudo vero styli *a.* D.

Hoc facto necesse erit ducere alios radios aliorum signorum quod fiet modo. In puncto D. ducatur arcus maior vel minor ad libitum G. H. E. postmodum accepta in Zodiaco declinatione Solis in signis Virgine, Scorpione, Piscibus, & Tauro, quæ erit grad. 11. 31. in puncto H. infixo circino secetur vtrinque arcus in K. L. accepta postmodum declinatione Solis in signis Geminorum, Leonis, Sagittarij, & Aquarij nempe grad. 20. 13. in puncto H. immisso circino secetur eodem modo arcus in I. M. tandem accepta maxima declinatione Solis in tropicis Cancri, & Capricorni secetur eodem modo arcus in G. N. Postquam in dicto

T 2 arcu

arcu habemus puncta septem radiorum. G. I. K. H. L. M. N. ducantur ex his septem lineæ quæ omnes in centro arcus scilicet in D. coeant; notandumque est diligenter vbi vnaquæque earum secet lineam Meridianam in. *b*. *q*. *d*. V. *e*. *f*. *g*. ex illarum enim sectionibus inuestigabimus septem circulos, scilicet tropicorum, æquinoctiorum, aliorumque signorum Zodiaci. Dabimus exemplum in circulo tropici Cancri, quo facto cæteros circulos ad illius similitudinem circumscribemus. Accipiatur linea N.D. quæ est radius Cancri vbi intersecat Meridianam in *g*. ex puncto *g*. ducatur parallela radio æquatoris donec attingat Axem Mundi in T. postmodum à puncto T. ducatur alia linea parallela æquinoctiali T. *d*. quod cum feceris in puncto. *d*. infixo circino ducatur circulus, qui transeat per sectionem Radij Cancri in linea Meridiana scilicet in. *g*. vt diximus donec attingat Orizontalem lineam, & sic habebimus circulum, & tropicum Cancri. Sicuti actum est in Radio Cancri ad inueniendum circuculum, ita faciendum erit in sex reliquis Radijs, & sic habebimus circulos omnes Tropicorum, Aequinoctiorum, aliorumque signorum.

Expli-

Explicatio secundæ Tabulæ.

EXcepta linea Orizontali Meridiana, puncto A. septemque illis circulis incompletis, quod reliquum est in prima tabula aboleatur, vt explicemus secundam. Perficiatur totus circulus Aequinoctialis, qui est in medio; circulusque tropici, aut Cancri, aut Capricorni, quomodolibet, nos accepimus circulum Aequinoctialem, & circulum tropici Cancri. Diuidantur postea hi duo circuli in 24. partes æquates, vt in secunda Tabula videmus, sed hoc pacto si Babylonicum Horologium describere velimus. 24. hora erit Orizontalis in parte dextra, si vero Italicum vt nostrum est 24. erit linea Orizontalis in parte sinistra, vt in secunda Tabula conspicitur, & sic reliquæ hore sequantur per ordinem sicuti nos delineauimus. Hoc facto horas facillime habebimus nam si ex hora 24. in circulo Aequinoctiali & hora 24. in circulo Cancri duxeris lineam habebis horam 24. quæ producta inter duos tropicos illos tãquam terminos excedere non debet, ex hora 23. in illis circulis ducatur hora 23. eodem modo, & sic reliquæ. Aduertendum autem est, quod non solum lineæ debent esse coarctate intra Tropicos, sed neque

perare debent Orizontalem lineam, impossibile enim esset à Solis vmbra vnquam attingi: Hæc de Horologio Italico dicta sint satis. Babylonicum contrario modo efficies ad vnguem. Astronomicum vero Horologium, quo vtuntur frequenter Galli, Germani, alijque, facilius erit; nam si ex puncto A. duxeris lineas, quæ transeant per horas circuli Aequinoctialis tantum, habebis horas Astronomicas, quarum 12. erit Meridiana 11. linea propinqua Meridianæ versus ortum & sic 10 9. 8. 7. 6. & 5. Post Meridiem vero habebimus 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. quarum numeros non posuimus (facile est enim inuenire) ne fieret confusio; ob hoc etiam neque posuimus Horologium Babylonicum, cum non admodum difficulter cognito vno Horologio cætera describantur.

Explicatio Tabulæ tertiæ:

Horologium hoc est verticale mobile ad Solis radios. Modus vtendi hic erit. Necesse est scire ingressum Solis in signa; nos reiectis aliquibus, parum enim referunt, vniuersali quadam regula neglectis minutijs vnumquodque signum illustratum à Sole propter coitum vigesima die Mensis posuimus, vt melius

melius sic descriptum Horologium memoria mandetur. Dabimus modo exemplum, quod hodie v.g. sit 20. dies Iunij, tunc posito Horologio versus Solem dum verticale semper est semper moueo donec vmbra Solis attigerit circulum Cancri, qui est circa 20. diem Iunij. Sit aliud exemplum quod hodie sit 5. Iunij tunc Horologium versus Solis radios mouebo, donec vmbra Solis attingant in medio circulorum Geminorum & Cancri, & sic debet fieri per ordines signorum. Si omnes circuli dierum descripti essent maxima orta esset confusio. Aduertat qui eo vtitur, vt habeat aliquam animaduersionem. Nam inter vnum circulum, & alium; spatium est triginta dierum si transacti sunt quindecim dies accipiat medium, spatium inter circulos Signorum, si tantum decem diuidat mente in tres partes, & hoc modo vti debemus Horologio hoc Itinerario mirabili, in quo absque Astrolabio, Quadrante, aut Magnetica sagitta inueniuntur horæ diurnæ. Vtere si vis, habebis enim Horologium non fallax, curiosum, vtile, maximeque commodum. Aliud etiam Horologium valde vtile, & mirabile ostendit mihi Eminentissimus D. Vincentius Costagunus S. R. E. Gardinalis doctissimus, eruditissimusque vir in baculo itinerario,

vmbra enim baculi pro gnomone vtitur, in ipsoque baculo vmbræ mensuræ sunt, per singula Zodiaci signa, opus certe laborque egregius, ac facilis ad inueniendas vbique diei horas.

DOMI-

DOMINICI PANAROLI ROMANI

Philosophi, & Medici.

APORRETHODESMON SIVE ARCANORVM FASCICVLVS.

AD postremam tandem partem susceptorum à nobis laborum deuenimus, nunc reliquum est, sicuti polliciti sumus, vt de arcanis aliquot verba faciamus. Arcana intelligo non solum ea, quæ occulta sunt in Natura, sed ea etiam, quę hominibus parum nota esse videntur: horum enim fasciculum composui sine ordine, fasciculus enim est, floresque varios imitatur.

Domus si in decliuo montium, & non in planitie ædificentur facile ruunt: nunquam longo temporis spatio consistunt, nisi platea fundamentorum sit admodum lata, & magna, vt Romanorum quamplurima ædificia antiqua hoc modo constructa reperiuntur; cum enim aqua (sicuti sanguis intra corpus) per viscera terræ excurrat & fluat, vtique in montis cliuo descendendo fundamenta erodit, vnde quotidie cæmentarij vocandi sunt, semperque domum fulcire oportet trabeis, & sustentaculis. Fluit humor per terram; hinc credo (vt mihi retulit Illustrissimus D. Ghesierus pro Christianissimo Gallorum Rege hic Romæ Residentis officio fungens) oriri, quod sepulcri cuiusdam Parisijs cōstructi terra nunquam crescat, etiam si quoquo anno hominum millia ibi sepelliantur, ac pro miraculo possit haberi, cum sit res naturalis; nam humor per viscera telluris

fluens

fluens terram erodit, & si crescit per cadauera in puluerem redacta tellus, per erosionem decrescit, atque ita in eodem statu, & mensura permanere videtur semper. Terra etiam dehiscit, & mouetur in planitie, quid sperandum in decliuitatibus, vbi facilior lapsus, quam in plano?

Quod terra moueatur in planitie, exemplum habemus in Plinio de Horologio in Campo Martio sito, vbi pro gnomone aderat obeliscus spærocephalus, quod vt ipse narrat lib. 36. cap. 10. suo tempore non congruebat, triginta enim elapsi erant anni in hoc errore, cuius rei Plinius inuestigans causam inter plures, quas enumerat hanc etiam recenset, scilicet tellurem aliquid dimotam fuisse; sed quoniam de terra agimus si forsan me non recte explicaui in Elementorum libris, quonam pacto terra superemineat aquis denuo regredior ad dilucidandam meam sententiam. Dico itaque, quod terra diuinitus hoc modo consistit contra suam naturam à creatione Mundi eleuata super aquas per globos, & vincula quædam, postea vero pars aliqua terræ rarefit, pars aliqua deprimitur, fitque omnium terræ partium ad centrum vsque generatio, & corruptio (nam si aliter esset partes terræ aliquot essent immortales, quod est absurdum, cum omnia

sublunaria vicissim generentur, & corrumpantur, nihilque immortale reperiatur,) citra disruptionem tamen vinculorum terræ, quibus ipsa consistit.

Si diceret vero aliquis, ergo nostris temporibus etiam fit miraculum, quod fecit Deus in creatione Mundi, cum vi syderum eleuetur terra, & ascendat; responderi potest quod non; nam in creatione Mundi auctoritate diuina vniuersa terra, absque aliqua syderum virtute eleuata fuit super Aquas. Nostris autem temporibus si aliqua Terræ pars constipatur alia raresit non inducit necessitatem dicendi, ergo hodie fit miraculum sicuti factum fuit in creatione, quia ista raresactio, & constipatio, generatio, & corruptio fit pedetentim in terra ad Mundi conseruationem diuersimode, & longa post sæcula fere insensibiliter, sicuti obseruatum est in aliquibus montibus, vbi quantumcunqque lapidum haurias, terra semper eamdem mensuram habere videtur: in metallicis etiam locis idem euenire obseruatum fuit.

Igitur si aliqua pars Terræ raresit, & eleuatur aliquo modo, alia constipatur, & deprimitur hoc fit via naturali ad conseruationem Mundi, nec est depressio, aut eleuatio maxima sicuti in creatione, quando Terra vndique

in istanti miraculose eleuata fuit per globos, & vincula quædam, quæ si (quod Deus auertat) disrumperentur, vt dixi alias, vtique Terram obruerent aquæ.

Aer Romæ salubris qualis sit modo ostendemus. Multa in Aerologia nostra scripsimus, videat, qui velit; sed præcipue Lectorem admonitum esse volumus, nempe vt consideret in ciuitate in qua degit, qualis nam sint venti annui, qui vere, & æstate flant, & non obseruandum est solum, si domus constructa sit ad Boream, sicuti hic Romæ quamplurimi errant, atque ob hanc causam lites, & dissensiones fuerunt. Hyberno tempore ignis nostri cuiusuis domitor facile aeris insalubritatem corrigit, sed æstate hoc opus hic labor est; æstiuo enim tempore maximopere optimi aeris necessitatem habemus. Quis nam Romæ Boream æstate flantem obseruauit? Igitur si non flat queri non debet: quapropter nos Romę Zephyrum ventum meliorem esse obseruamus. Sint igitur ędificia cōstructa aduersus Zephyrū; qua de causa Exquilinus, & Quirinalis mons, cum alta semita, atque collis hortulorum salubriorem aerem habent. Aer Diui Ioannis in Laterano optimus est sui natura sicuti in Celimontano Aere tractauimus, sed aliquam per

acci-

accidens iacturam facit; ruinæ enim, & ædificia antiqua vna cum Flauij Vespasiani Amphiteatro illi impedimento sunt ne Zephyrus excurrat, & fluat.

Domus iuxta Tyberim positæ Aestate optimæ sunt, aqua enim fluendo ventos mouet, aeremque salubre reddit, sed aduertendum, vt per milliarium saltem ab Vrbe distet; Tyberis enim per ciuitatem, fluens stercore, immunditie, putredineq; varia repletus aerem noxium reddit. Recte igitur consulit D. Paulus Zacchias doctissimus Medicus, quod, si quis pro balneo vti velit Tybridis vnda, versus portam Flaminiam se abluat, vbi Flumen impollutum, immaculatumque, existit.

Si quis arboretum hic Romæ plantare velit, requirendus est locus saltem septimo ab Vrbe lapide distans, quoniam terra eleuatur, Roma enim in fundo est, arboretaque excelsa loca petunt.

Dies noxias aliquot enumerabimus, quibus si Sol vel leuiter per breue temporis spatium homines tetigerit statim, nocet, hæque dies sunt, sicuti optime obseruatum est, dum Sol est in 27. & 28. grad. Cancri, in 27. & 28. grad. Leonis in 27. & 28. grad. Scorpionis, in 25. & 26. grad. Sagittarij, & 27. & 28. grad. Arietis; ob hoc autem non dico, quod cetere dies salubres sint, etiam si Sol radijs hominem

tangat,

nangat, sed hæ, quas dixi maxime omnium noxiæ, & insalubres sunt.

Tempus ad aspicienda sydera Astrologis omnibus maxime conueniens, dummodo sit sereno Cœlo à prima Septembris die vsque ad decimam quintam Nouembris optimum est.

Quando vere, aut Aestate nunquam, aut raro pluit, Autumno tonitrua, sagittas, & fulmina copiosa expecta.

Adamas in profundo Maris fit ex continua aquæ congelatione; imo aliquando lapides, ligna, aliæque res in adamantem conuertuntur. Cranium humanum panem, lignumque in mari repertum scio omnia in adamantem conuersa; lignum autem dum secaretur obseruatum fuit vice moditullij adamantem habere. Maxima vis est in congelatione continua; apud me os femoris Elephantis in lapidē conuersum habeo.

Ob hoc igitur Orithem gemmam ex vrina posse fieri credimus, sicuti Lyncis vrina in Lyncurium, vt aiunt, conuertitur lapidem, nos etiam videmus hominis vrinam calore destitutam circa matulam lapidescere.

Calculos in hominibus duplici causa generari posse existimamus, nempe aut per modum assationis, aut per modum congelationis, sed præcipue ex congelatione fieri lapidē credimus, sicuti enim

vrina

vrin a dum calida est subtilitatem habet, dum vero frigescit lapidescit, ita in renibus à frigiditate lapides oriri possunt; præcipue vero si maxime pannis impositis calefacti renes per calorem peruij reddantur ambienti extrinseco, sicque renes frigefacti per accidens lapides procreant.

Oriuntur etiam lapides ex maximis animi affectibus, sed præcipue cholera, & melancholia. Nos pluries hoc experti sumus animi scilicet perturbationes huius morbi sępe radicem esse.

Spiritus tristis exsiccat ossa exsiccat etiã lac in nutrice, vti pluries notauimus, ideo remotæ à quouis commercio, omnibusque animi perturbationibus alendæ sunt.

Thermales aquas aliquam in se suspicionem habere dubitarem, cum sint aquę sæpius transeuntes per terras metallicas, impuratæ, & indigestæ, sicuti enim igne sordibus metalla expurgamus, ita etiam Thermales aquæ aliquo modo purgandæ sunt, cum noxam pariant, vt audiui de quibusdam, qui ex huiusmodi aquarum haustu in deterius lapsi sunt, & sicuti in aqua acetosa Romana extra Hostiensem portam pro optima celebrata observaui, quæ transeundo calculos gignit. Quid faciendum credimus nostris in corporibus? Certe maximum detrimentum

mentum, cum aquæ Thermales quantitate potius, quam qualitate aluũ ducant.

Si arcte Zona cinctus ambulet aliquis à quamplurimis morbis liberatur. Oportuit sæpe in nocte media quamplurimos homines ob aliquam necessitatē propter celeritatem nudis pedibus ambulare, aliaque incommoda pati, tamen si Zona aliqua circa stomachum cincti fuerunt, nihil mali habuerunt, cum alioquin facillimum sit in graues morbos incidere.

Optimum erit etiam mane, cum optime induti fuerimus post aliquot tempus per modicum temporis spatium caput extra fenestram ponere, confert etenim mirifice saluti, sicuti etiam frigida manus, vultumque abluere: excitat enim fugando torporem mentis hilaritatem.

Vulneribus optimum est remedium, si rosarum pallidarum contritarum oleũ adhibeatur, & quo magis antiquum fuerit eo melius est. Nos sæpius hoc Balsamico oleo vsi sumus.

Ebullire finas hyperici flores, & semina cum folijs plantaginis, incisis omnibus & contusis, in oleo recenti optimo, & aqua plantaginis lento igne vsque ad consumptionem aquę, tunc coletur per petiá, addasque oleũ abietinum, oleũque rosaceũ vetus, vt supra dixi, ex rosis pallidis

inci-

incisis, tunc addas Flores hyperici, & semina coutusa exponaturque ad Solem per octo dies, quo facto coletur, per peliam, & exponatur Soli per dies sexaginta. Mirabile balsamicum oleum est pro vulneribus.

Mira quotidie reperiuntur in Medicina. Ad confirmationem operis, quod doctissimus Physicus Petrus Seruius compleuit de vnguento armario sciẽdum est, quod petia sanguine imbuta sub cineribus calidis posita, menses sistit experimento pluries comprobata; quin etiam Magister meus Petrus Castellus aiebat se expertum fuisse, hemorrhoides, si tangantur tuberosa radice Chondrillæ, siccari, si Chondrilla siccetur, corrumpi vero, si corrumpatur, quapropter sub camino exsiccanda ponitur post huiusmodi tactum Chondrilla tuberosa.

Ad calculos, & arenulas renum, & vesicæ comminuendas, & frangendas optima est Chondrilla nostra hircina, quam Tragium antiquorum esse crediderim, sic a nobis appellata propter hirci odorem, quem maximum refert ipsius radix Autumno. Chondrillæ minori similis est, sed aliquantulum maior, floresque luteos habet, qui in pappos euolant. Nascitur secus vias, sed præsertim in terra sterili, atque sabulosa. Radix hirci odo-

odorem æmulatur attamen non iniucunda est.

Si in Medicina aut interius, aut exterius opus habemus aquis refrigerantibus optimum esse existimarem: si transeant annum; per id tempus enim calidæ partes multæ vi ignis acquisitæ euaporant, & euanescunt. In calidis vero quomodo libet vtendum est.

Niuis vsus perniciosissimus est, cum experientia probemus dentes nigros reddere, eosque deciduos facere, graueolentiam oris gignere, stomachum labefactare, viscerumque omnium vitale robur, natiuumque calorem hebetare. Melius, & tutius est naturali frigore alicuius cryptæ, aut fontium vti sine vlla noxa, quam indulgendi sensui gratia in supradicta incommoda incidere.

Damnosum etiam est in potu vti difficili aliquo cratere ad bibendum, cum multum venti, cum frigore hauriamus, qui processu temporis constipatus lentorem acquirens per corpus varie disseminatur, doloresque arteticos, chiragram, & podagram procreat. Bibatur igitur parum & sæpe, vt potus cum cibo miscellam, & fermentationem faciat in vase facili, quod calicis figuram habeat, neque aliquam in bibendo difficultatem pariat.

Cosmetica pellem rumpunt melius est

nihil

nihil adhibere. Cosmetica autem, quæ sublimatum admittunt pestifera, & lethalia sunt, gignunt enim graueolentiam oris, dentium nigredinem, & diminutionem, surditatem, stoliditatem fatuitatem, paralysiam, epilepsiam, & apoplexiam. Inuentum est nostris temporibus Balsamum faciei ex margaritis alijsque rebus pretiosis paratum, quo semel in vita inuncta facies ad mortem vsque vultum in eadem pulchritudine conseruat absque eo, quod damnum vllum patiat, imo e contra faciem fouet, & exhilarat.

Sectum fuit aliquando meretricis cadauer in qua sectione tres argenti viui globuli inuenti fuerunt primus in corpore cerebri calloso, secundus vero, & tertius super aures. Si scirent mulieres sublimati damna potius stercore, quam faciem sublimato tangerent. Stercus enim ob acrimoniam bilis, quam habet faciem abstergit. Margaritas inficit, & corrumpit sublimatum, quid sperandum est in carnibus? Certe pessimum. Inuenta sunt cadauera meretricum, quæ viuentes sublimato vtebantur, in quibus faciei caro vermes arcebat (venenata erat enim) & sic nigra sine vermibus putredine maxima corrupta conspiciebatur.

Multa patiuntur incommoda mulie-

res ad hoc, vt pulchræ videantur, quibus ego optimum coſmeticum communicare volo, nempe puritatem, & ſimplicitaté, qua viri amantes maximopere gaudent. Stultiſſimæ ſunt ſi laruatæ incedunt, cũ homines facillime fucum cognoſcát, & contemnant facies depictas; puritate enim ſi gaudent, hoſtes, & contemptores ſunt falſitatis, & mendacij.

Sed quoniam de mulieribus agimus aduertendum eſt; quod ſi fœminæ vterus ex continuo coitu ſemine repletus ſit non concipit, niſi vterus tanquam depoſita ſarcina ſemen eijciat, quod ſtagnans per longam imo longiorem temporis vſuram immoratur. Hinc quandoque oriuntur molæ, hydrops, ventoſitas vteri, & fluxus fluori muliebri ſimilis, cum tamen non ſit, neque etiam, ſit gonorrhea, quam ſi ſemel patiuntur; mulieres in poſterum ſterileſcunt fruſtra tentatis omnibus remedijs. Cognoſcitur hæc excretio frigiditate, frigida enim erit materia, & ſit ſine dolore, & corporis emaciatione. Fluxus iſte porro ſupprimendus non eſt, imo ciendus.

Theriaca, ſi quotidie grani vnius pondere propinetur, corpus citra inflammationem alexiterium procreat; ſicuti Mithridato Regi accidiſſe refert Galenus, qui à Romanis victus ſumpto veneno

mori

mori non potuit ob alexiteriã virtutem contractam continua antidoti exhibitione. Vidi ego plurimos, qui sæpe absque causa manifestà syncope corripiebantur, hoc modo sanatos, optimumque remediũ est, vbi suspicionem habemus alicuius materiæ venenosæ in corporibus nostris latitantis.

Sed aduertendum est, theriãcam optime confectam debere esse, sicuti nostris temporibus confecit cum Opobalsamo vero D. Antonius Manfredus Theriacæ antiquorum, Antidoti Imperarorum diligentissimus restaurator, qui à Magistro meo Petro Castello, alijsque egregijs, doctissimisque viris pro veritate adiutus in arena dimicans gloriose triumphauit.

Probaui & expertus sum cum dicto Manfredo theriacam ante septimum annum (vt Galenus indicat) venenis non resistere, exemplo facto in quamplurimis animantibus; Ideo vbi suspicionem veneni habemus frustra datur Theriaca ante annum septimum.

Chymicorum ruina à continua vaporum exhalationum, & fuliginum copia caput petentibus oritur, carent enim medicamento aliquo præseruatiuo quod cerebrum confortet, & corroboret; quodque à supradictis incommodis immune reddat.

Cardanus de rerum varietate hoc tetigit

git in capit. de distillatione assignans
liqua remedia, sed rem incompletam
eliquit: nam si oleum chalcanthi, vt ipse
it ex sententia Gesneri distillatum in
iridario arbores enecat, ideo inualidum
st expectare antequam vas aperias, vt
igescant omnià, cum semper aliquid
oxij transpiret, quod cerebrum offen-
it. Demus exemplum in aqua aliqua
dorata dum distillatur, nam etiam
optimo sigillo diligentissime omnia
auferis, tamen semper odor aliquis
uaporat.

Tutius existimo præseruatiuo aliquo
munire, quod cerebrum tueatur, &
onfortet sicuti sunt aquæ aliquæ odoratę
aues cum panè distillatæ. Hoc feci, &
memetipso expertus sum optimo cum
frigerio experientia edoctus in illis, qui
lendo carnes cum sinapi, vti mos est, &
ceto, dum ardorem fastidiumque per-
ntiunt in naso, micam panis ingeti cum
ilitate odorant.

Melius est etiam in Chrystallo distil-
re, Vitrum enim respectu Chrystalli
orosum est, partesque subtilissimæ, quæ
omitem quintam essentiam habent fa-
llime euaporant, sed quoniam de
hymica verba facimus aliqua notanda
unt.

Chymici in qualibet re quintam essen-
am, & vt ait Cardanus de rerum variet.
cap.

cap. 50. quintum corpus elicere volunt, Quid est obsecro, in quam, ista quinta essentia est corpus ne, aut qualitas? si est qualitas debet esse commixta, aut vt melius dicam cum vno, aut pluribus elementis, nam qualitas sola non datur, si est corpus hoc negamus, nam cum in compositione mixti concurrant quatuor elementa, quæ perfectionem, & virtutes tum manifestas, tum occultas recipiunt à qualitate cœlesti scilicet à tepore æthereo, qui luminis comes est, vt alibi diximus, vtique in dissolutione mixti supradicta quatuor elementa habebimus tantum, quæ quatuor sunt corpora cum qualitate ætherea, & non quintum corpus, quod nullo modo poterit dari, & dici, nisi velimus dicere corpora ista esse mixta imperfecta, non corpora simplicia, & in hoc casu; poterit dari sextum septimum, & octauum corpus; vt exponit Zephyriel Thomas Bouius in suo fulmine contra Medicos, qui dum alijs fulmina parare conabatur à propriæ ignauiæ pondere oppressus est. Hic miles gloriosus eo quia octo corpora diuersa in aliqua distillatione reperijt, ideo asseruit nihili faciens priscorum Philosophorum dogmata octo dari elementares separationes. Nesciebat pauperimus ingenio non esse separationes elementares, sed separationes mixtorum imperfectorum, sicuti

Sicuti aqua fontium pluuia, nix, pruina, ros, grando, inter se differunt, attamen elementa plura quam quatuor nō probamus, cum non sint pura elementa, sed mixta imperfecta. Quintum itaque corpus non poterit dari, quod habeat similitudinem cum lucido expanso, scilicet corpore æthereo, & Cœlesti, per quod astra fluunt, corpus enim æthereum non concurrit in compositione mixti, vt concurrunt elementa, sed qualitas tantum, ideo non poterit dari quinta essentia sola nisi sit associata alicui elementorum.

Dixi hoc, nam cum aliquando ostendedem aquam quamdam stillatitiam à me fabrefactā, quæ in pauca mole quintam essentiam spiritualem includebat, ipsamque communi Chymicorum more quintam essentiam appellarem, interrogauit, quid illam, num arderet, minime respondi. At ipse subito inquit, ergo quinta essentia non est. Non ardet, inquam, concedo, ergo quinta essenria non est, distinguo: Ergo quinta essentia non est pura, & simplex sine mixtione vlla elementorum concedo, cum in rerum natura nulla detur quinta essentia, quæ non adhereat alicui corpori, est etenim qualitas pura & simplex: Ergo quinta essentia non est, scilicet, ergo in hac aqua nulla adest quinta essentia nego, cum hanc aquam optime, vt ostendam, ad habendā

quintam essentiam distillauerim. Debebat melius & Philosophice loqui. Si non ardet, ergo non est aereum, aut igneum corpus, quod facile accenditur. Chymici enim plurimi elementū ignis quintam essentiam vocare deberent hoc modo, cum non sit.

Ad habendam igitur quintam essentiam duo sunt necessaria potissimum, non neglectis interim alijs circumstantijs. Primum vti debemus vase claro, & lucido sicuti est Grystallum, quod lucidius est vitro; secundo quod sit imperuium, porosumque non sit & hanc etiam dotem Cristallum possidet, quinta enim essentià, quæ est qualiras cœlestis luminis ætherei comes lucida amat corpora, & quia quinta essentia facilius adheret partibus purioribus, leuioribus, & subtilioribus, ideo si ipsæ partes euolent vtique nullam quintam essentiam habebimus, sed tantum ignem, aut aliquod aliud elementum, & vt rectius dicamus mixtum aliquod imperfectum; nullum enim elementum purum vidi in Chymicis operationibus, sed tantum imperfecta mixta.

Caueant Chymici operando ne visus hebetetur aspectus enim ignis immoderatus aciem oculorum obtundit; nam oculo contraria sunt præcipue hæc tria ventus, Sol, & Ignis.

Muscu-

Musculæ excepto Mense Septembris copiosæ per aerem visæ futuræ diei pluuiam indicant sæpius.

Pueri nescientes sæpe temporum euentus, pacem & bellum prænunciant. Nos vidimus aliquando pueros in iocis, & ludis semper hilares, & pacem postea obseruauimus; vidimus e contra belligerantes, acriterque in puerili pugna sese exercentes, sequutumque paulo post est bellum; hocque naturale est, cum idem astrum, quod milites vrit in bello, pueros ad pugnam inuitet.

Pueri, ne lædantur ab igne dum sunt paruuli necesse est, dum circa lumen aliquod exultant permittere, vt digito leuiter vrantur, nam in posterum visa flamma doloris memores amplius non vruntur, imo ignem fugiunt,

Vt pueri optimi in moribus euadant nutriendi sunt cum maxima Zelotypia. Reges dum paruuli sunt in delitijs, sed non immoderatis, educantur longe ab hominum consortio; Magistros habent, qui in varijs disciplinis eos exercent, etiam in pictura, pictores enim multi Physionomiam habent; in varijs etiam linguis exercentur scribendi, loquendique gratia & sic virtutum amantes morigerati absque vitijs euadunt.

Si volumus vt Pictores recte agant debemus eos stimulare, vt in ipso pingendi

gendi actu cibis eum pipere, saccaro, cinnamomo, aut similibus vtantur, cum vino aliquo generoso, sed sobrie citra prandium & coenam non ad satietatem, excitantur enim mirifice spiritus, & exhilarantur, vnde egregie opus perficiunt.

Corui calamus in scribendo melior longe est, quam anserinus, diu enim resistit, & durat, characteresque mirifice delineat.

Falsum est aliquando repertum fuisse vitri, aut Crystalli vas, quod in terram corruens non frangeretur, qui cupit id habere, conficiat ex crasso montium Crystallo, & sic non frangetur.

Stellarum virtutes ex ipsorum colore, & fulgore cognosci possunt, nam quomodo fuerint aut albæ, aut rubræ, aut pallentes, ita naturam suam ostendent.

Virtutes occultæ & Magneticæ oriuntur ex tepore æthereo, & non ex qualitatibus, ideo Philosophi illi, qui omnia à primis qualitatibus pendere asserunt parum docti existimandi sunt: non negauerim tamen huiusmodi arcana quamplurima nobis incognita esse.

Confunduntur sæpius virtutes occultæ, cum manifestis. Cummi illa carabe dicta, vernaculo sermone (ambra gialla) appellata nullã virtutem magneticam in attrahẽdis paleis habet vt habet

magnes

magnes in ferro, attrahit enim viscositate, cum glutinosum corpus sit, & facillime ardeat. Glutinatoria est carabe, vt ait Garzias ab horto cap. 8. de Lacca; huic similis est gagates lapis, ex quo mulieres dextrocheria, aliaque ornamenta confecta gestant, cuius lapidis duo reperiuntur species altera nobilis & leuis, quæ (Ambra negra) communiter vocatur, altera ignobilis, & ponderosior, vocaturque à corrupto nomine Gagatis, Ghiauazzo. Magnes ab vna parte trahit ferrum, ab altera fugit, porro si inter ferrum & magnetem sit aliquod intermedium corpus etiam crassum tamen magnes suō fungitur officio. Denique virtutem acceptam à magnete ferrum alteri ferro communicat. Nihil autem horum conspicuum est in carabe, quæ ob glutinum paleas trahit, imo indifferenter diuersas res. Cum magnes ferrum tantum ad se alliciat, & non aliud.

Quomodo accendantur montes flammiferi, alijque subterranei ignes, non centrales, nam in centro nullum esse ignem credimus elementarem, sed supernaturalem ad cruciatum animarum; hac de causa potissimum oriri puto, non neglectis tamen alijs, nempe ex attritione lapidū terre, dum terra secundū partes aliquas longa post sæcula mouetur, vt alibi diximus, ex tali itaque attritione, &

 mate-

materia recte disposita ad ignem concipiendum accenditur flamma, nam videmus duos silices si simul terantur flammam euomere, completa postea materia, scilicet absumpto pabulo ignis, ignis extinguitur, at si materia semper subministretur de nouo, ignis semper perdurat hinc montes æterni flammiferi, hinc aliæ voragines ignitæ, hinc aquæ Thermales ebullientes, & calidæ. Vesuuij montis absumpto pabulo flamma perit, donec pabulum conueniens denuo generetur, & ex lapidum attritione accendatur.

Mare plus quam aliæ res conueniens pabulum igni procreat. Henricus de Lotaringia Serenissimus Dux Guisanus diligentissimus Physicorum arcanorum perscrutator pulchram mihi communicauit opinionem, nempe Mare per viscera terræ fluere, tractum etiam vsque ad altissima montis iuga vi syderum Lunæ & Solis, & hac de causa oriri metalla, metallica aliaque mirabilia, quæ opinio conuenire videtur cum Homero, qui, vt diximus in elementorum Libris fluuium quemdam Oceanum terram vndique circumdantem descripsit.

Sed antequam concludatur opus aliqua de Luna dicenda sunt; Luna enim nocte descendit, die ascendit, e contra Sol. qualitate videlicet sua, qua cuncta refrigerat, & sic ignis sphæram afficit, & sicuti Stellæ influxu & qualitate alterationem

tionem in regione sublunari faciunt, ita etiam Luna qualitate sua noctem alterat. Quapropter nisi esset Sphæra ignis omnia frigescerent mediante Luna, ita etiam nisi esset Luna omnia mediante Sphæra ignis comburerentur.

Quando dixit Deus fiant Luminaria magna, alterum quod præsit diei, alterum, quod præsit nocti, intelligendum non est tantum de lumine, sed de qualitate; videmus enim Lunam ante, & post coitum cum Sole lumen amittere, & nisi semel in Zodiaci peragratione noctem integram illustrare, nempe in plenilunio; intelligendum itaque est de qualitate etiam.

At si quis diceret quomodo posuit Deus massam illam frigoris productricem tam alte supra Sphæram ignis, considerare primum debet, quomodo terra præter naturam suam superneminet aquis à creatione Mundi miraculo Dei.

Non decet Pilosophum omnia intra Naturæ terminos discurrere, concedendum est aliquid omnipotentię Diuinę ad temeritatem nostram confundendam extra Naturæ limites.

Posumus dicere, Lunam maxime opacam esse, sicuti in defectu luminis probatur, ideo substantiam habere crassam, & consequenter densiorem, & ponderosiorem ese aere, & igne, attamen

supra elementa collocata est, non tanquã clauus in tabulã, sed; mouetur in lucido expanso, sicuti auis in aere, aut piscis in aqua, nam si alicui circulo, vel Cœlo solido adhereret non moueretur, cum pondus non esset æquale, circulus enim non æqualiter motus motum sistit.

Quod Luna sit densior aere, & igne ex ipsius opacitate arguitur, opacitas enim densitatem significat, & si Luna dum Eclipsim patitur & obscurata est, aliquod imperfectum lumen habere videtur, id non habet à fulgore proprio, sed ex repercussione radiorum aliarum Stellarum id oritur.

De Sole quid sit nihil dicimus; fortasse de ipso aliquando altius disseremus: maculas vero nostro sæculo obseruatas defectũ esse in medio existimo, scilicet in interpositione alicuius materiæ densioris inter nos, & Solem, Solis motum sequentis.

Hæc in nostra Polycarpoponia dixisse sint satis. Meum institutum est publicæ vtilitati consulere; hic scopus, hic finis, propter hoc laboro: vbi potero me in hoc studio extollere, si quis pro veritate me tanget, vtar calamo pro Medicamine; nemini parcam. Post monitum ferula surgit. Post Zephyrum fremit Eurus. Post tonitrua fulgurat Cœlum. Pro defensione vtilitatis publicæ, & veritatis ca-

[illegible] lamus.

lamus meus erit Nuntius famæ velox, Tuba vtilitatis canora, scutica amara, & minax ad abusus corrigendos, mendaciaque castiganda, ensisque triumphans ad errores fulminandos; immortalitatem enim ego amo, & non fabulas, opus complendo in nomine Indiuiduæ, & Sanctissimæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

Polycarpoponiæ,

F I N I S.

INDEX OBSERVATIONVM, Secundæ partis.

1 *ENterocele omphalodis in Matris vtero orta.* 369
2 *Renum calculo remediũ optimũ.* 371
3 *Vomitus subitaneus criticus segregatiuus.* 372
4 *Eruptio sanguinis in crure periodica.* 374
5 *Gallus sine ano, & pene quotidie citra salutis noxam stercus euomens.* 375
6 *Aquæ potus nimius, & coitus immoderatus suffusionum pariunt.* 377
7 *Semen anguriæ a puero deuoratũ per trimestre tempus citra corruptionẽ*

in Laryge detentum, & reiectiu. 378
8 *Colicis doloribus a causa frigida remedia optima.* 380
9 *Coma vigili enecatorum sectio.* 380
10 *Mediastini inflammatio lethalis.* 382
11 *Aneurisma mirandum.* 382
12 *Saccari in febribus immodice adhibiti nocumentum.* 386
13 *Fistula thoracis periodica.* 387
14 *In Leipyria febre maculæ penetrantes nigræ per totam pulmonum substantiam inuentæ.* 389
15 *Opistotonus in pedum vulnere lethalis.* 390
16 *Aquę Acetosę iuxta fontem lapides reperti.* 392
17 *Hydropicorum Paracentesis difficultas.* 394
18 *Fœtus mortuus abortu expulsus cũ infinitis paruis globulis, qui piscium oua repræsentabant.* 396
19 *In obstructione lienis sitis fuga.* 397
20 *Intromissio Syringis per mentulam pluries tentata lethalis.* 399
21 *In obstructione lienis maxima spiritus Vitrioli cum iure propinatus ad extinguendam sitim ventrem mirifice soluit, ægerque liberatur.* 400
22 *Lapis per excreatum expulsus.* 401
23 *Vtero gerentes primis mensibus, ne copia sanguinis fœtum obruat dummodo sint sanguineæ Phlebotomia ab*
abortu

abortu sunt præseruandæ. 402
24 Hydrops in puella nimio potu sanatus. 403
25 Triplicis quartanæ crescētis, & decrescentis differentia. 404
26 Luxata vertebra ceruicis secunda pluribus diebus æger vixit. 405
27 Vini vsus pueris perniciosus. 406
28 Imminutio visus nimio coitu orta, reparatioque eiusdem visus coitu fugato restituta. 407
29 Sanguis grumosus in corde. 409
30 In capitis vulnere surdus, & mutus redditus æger, post quindecim dies recuperata voce, & auluit cōualuit. 410
31 Ex distillatione à capite ad pulmones insipida, Phtisis, deinde mors oborta. 411.
32 Hysterica Vestalis ad mortem vsque redacta Phlebotomia in ipsa lipopsychia celebrata conualuit. 412
33 Quintana lethalis, cum tertiana duplici continua copulata. 413
34 Monstruosa calculorum eiectio. 414
35 Vasa spermatica ex vtraque vena & arteria emulcente in vtraque parte ortum ducentia. 415
36 Atrophia correptus citrio mala conualuit. 416
37 Melacholici quomodo tractandi. 417
38 Auersio odoris aquæ florum aurantiorum in mulieres, cum tamen cæte-
ros

ros odores auidius appetat. 418
39 Epilepsia imprudenter igne sanata. 419.
40 In vrinæ suppressione renes admodum magni reperti. 420
41 Mulier quolibet mense bis menstruata. 421
42 Mulieris morsus venenatus. 421
43 Myrmecijs remedium optimũ. 442
44 Papauer damnosum in cibis puerorum administratum. 424
45 Faucibus exsiccatio in fearibus ob igneos vapores cum magno vitæ discrimine, vsus aquarum refrigerantium maxime opitulatur. 425
46 Hemorrohidalis saguinis citra sanitatis periculũ monstruosa eiectio. 426
47 Voluntaria hemorrhoidalis sanguiuis ciectio. 427
48 Fluoris muliebris remedium optimum. 428
49 Phthisici sputum virulentum muscas enecans. 429
50 Nimia mulierũ intẽperantia, & non malacia tautum fœtũ deturpat. 430
Itinerariũ Solis Horologiũ mirabile. 435
Aporrhetodesmon siue arcanorum fasciculus. 443

F I N I S.

Romæ, Apud Io: Baptistã Roblettũ. 1647.

Superiorum Permissu.